

05

A

959





MAGNUM
PIETATIS
MYSTERIUM

De

DEO IN CARNE MANI-
FESTATO,

Sub ejusdem auspiciis

PRESIDE

BALTH. MEISNERO SS. TH. D.

& Professore Publico,

*Pro consequendis summis in THEOLOGIA honoribus
& Privilegiis Doctoralibus,*

Publicè defendent.

M. JOHANNES MÜLLER VRATISLAVIENSIS,
Philosophiæ Pract. hætenus Professor Publicus, jam Ecclesiæ
Lunæburgensis in illustri Abbatiâ ad D. Michaellem designatus
Pastor & Inspector,

&

M. LAURENTIUS ANDREÆ HALLENSIS,
hætenus in aula Coswigenfi Ecclesiastes, nunc designatus
Pastor & Superintendens Weidensis.

*Habebitur disputatio d. XVII. Decembris, horis ante- & pomeridianis,
In Auditorio Majori.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officiâ Typographicâ CHRISTIANI THAM,
Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XXIV.

3 I F 2 3 I -
III 2 7 II

THE MANN
OF THE

THE MANN
OF THE



05 A 959



DE MAGNO PIETATIS

M Y S T E R I O,

T H E S I S I.



Manifestè magnum illud pietatis mysterium, quo DEUS manifestatus est in carne, *Mysterium incarnationis aliquot actus includit.*
1. Tim. 3. v. 16. & cujus memoriam hoc tempore sancta mater Ecclesia non immeritò recolit, *προσηψις.*
considerari potest tripliciter (1.) *Respectu carnis,* quæ in utero Mariæ concepta, inq; *ὑπόστασιν* τῆ λόγῃ assumpta est, & ita nominatur *προσηψις* vel assumptio, *προσηψις.*
ex *Hebr. 2 v. 16.* (2.) *Respectu* τῆ λόγῃ vel filii Dei, qui carnem humanam suscepit in unitatem suæ personæ, & ita vocatur *ἑνωσις* vel incarnatio, Ex *Joh. 1. v. 14.* (3.) *Respectu utriusq;* carnis & λόγῃ, quæ in una *ὑπόστασιν* mirabiliter conjuncta sunt, & sic appellatur *ἑνωσις* seu unio personalis, ex *1. Tim. 2. v. 5.*

II.

Actus verò isti non differunt reipsâ & peracti sunt simul, quia *Qui non differunt reipsâ & tempore,*
uno eodemq; tempore caro Christi in utero Mariæ concepta, & statim in personam τῆ λόγῃ assumpta est. qui assumendo carnem, incarnatus dicitur, atq; sic λόγῃ & caro personaliter sunt unita, ut inde una emerferit persona, unus Dominus *1. Cor. 8. v. 6. Eph. 4. v. 5.* & unus Mediator, *1. Tim. 2. v. 5.* in duabus naturis, divina & humana, planè singulariter & mirabiliter subsistens.

III.

Licet autem actus isti nec tempore, nec reipsâ discriminentur, modo tamen & ordine naturæ differunt, siquidem caro Christi *Modo tamen & ordine naturæ,*
primùm in utero Mariæ concepta & formata, post assumpta, & sic τῷ λόγῃ unita est, unde apparet ordo; quæ tamen, ut diximus, simul contigerunt omnia, siquidem caro illa cōcipiendo assumpta, *re,*
& assu-

& annunciendo concepta, & concipiendo, annunciendoq; τῷ λόγῳ
unita fuit. Angelo nunciante, & Spiritu S. adveniente, mox fuit ver-
bum in utero, mox intra uterum verbum caro, ait Gregor. lib. 18. Mo-
ral. cap. 20. ἅμα σὰρξ, ἅμα τῷ θεῷ λόγῳ σὰρξ, simul caro, simul
Dei verbi caro, inquit Damascenus lib. 3. de Ort. F. cap. 2.

IV.

De quibus
in hac di-
sputatione
agetur di-
stinctè.

Docendi tamen gratiâ, & ne obscuritatem pariat confusio,
de actibus istis, prout ordine insequuntur, distinctè differemus,
verba facturi 1. De carnis Christi conceptione. 2. De conceptæ
carnis assumptione. 3. De ipsa hinc fluente τῷ λόγῳ incarnatione;
Et deniq; 4. de λόγῳ & carnis personali unione; quibus declaratis
intelligetur rectius, quod dixit Apostolus: Manifestè magnum est pie-
tatis mysterium, DEUS in carne manifestatus, 1. Tim. 3. v. 16.

Adistas Homo-facte DEUS, quò Dictio nostra
Grata sit ante homines, grata sit ante Deum.

V.

MEMBRUM I.

DE CONCEPTIONE CARNIS
CHRISTI.

Quinq; cum primis hîc consideranda veniunt. 1. Causa effi-
ciens, quæ carnem Christi formavit. 2. Benedicta mater, in cujus
utero illa concepta est. 3. Materia, ex qua caro Christi formata.
4. Modus vel forma conceptionis, & deniq; 5. finis ejusdem, quæ
causæ singulæ si fuerint explicatæ, circa primi istius actus intelli-
gentiam nihil fortè amplius desiderari poterit.

VI.

I. De carnis Christi causa efficiente vel
producente.

Formatio
carnis Chri-
sti est qui-
dem opus
externum,

Tribuitur
tamen κατ'
ἐξοχήν.

Ipsa carnis assumendæ formatio est opus purè externum,
ideoq; toti Trinitati sine dubio commune, juxta regulam Augustini
de operibus externis indivisis ex cap. 38. Enchirid. & l. 1. de Trin. cap. 4.
Ut autem aliàs multa sunt externa opera, quæ omnibus personis
competunt, uni tamen singulariter & κατ' ἐξοχήν tribuuntur:
Sic formatio carnis Christi, licet à tota Trinitate sit peracta, nihil-
ominus

ominus adignatur proprie Spiritui S. *Luc. 1. v. 35.* Spiritus S. super-
veniet. *Matth. 1. v. 18.* Inventa est Maria in utero habens de Spi-
ritu S. *v. 20.* Quod in ea natum est, de Spiritu S. est. Sic in Symbolo
Apostolico Christus dicitur conceptus, in *Niceno* incarnatus de Spi-
ritu S. Hoc autem ideó putamus fieri, quia caro Christi non tan-
tum nudè formata, sed in super sanctificata & ab omni peccati la-
be immunis producta est. Opus verò sanctificationis proprium
est Spiritus Sancti, cui propterea ipsa productio humanæ Christi
naturæ singulariter adscribitur, quoniam sanguinem Mariæ &
massam, ex qua formanda caro, purgavit, sanctificavit, & sanctifi-
cando naturam integram formavit.

*Cum primis
ob sanctifi-
cationem
massæ.*

VII.

Pelargus in *Damasceni* lib. 3. c. 2. duas adfert rationes, cur Spi-
ritui S. καὶ ἐξοχήν tribuatur conceptio Christi. 1. Quia sit sum-
mum beneficium, Spiritui autem Sancto tribui amorem & boni-
tatem, quam rationem ex *Lombardo* petiit l. 3. sent. dist. 4. A 2. Quia
sit opus fœcunditatis, Spiritum verò sanctum esse quasi divinum
quoddam semen, quo omnia vivificentur, *Gen. 1. v. 2.* esse quasi
animam, quâ animentur omnia. Verum utrumque de creatio-
ne dici potest. Erat & illa opus bonitatis summæ ac fœcunditatis
maximæ, & tamen Patri, non Spiritui S. ea tribuitur. Quocirca
hæ rationes non videntur scopum tangere, sed potius ea sola est
optima, quæ à sanctificatione massæ virginalis sumitur. De hac
pulchrè scribit *Lutherus* in c. 38. *Gen.* fol. 563. b. *In illo puncto conce-
ptionis virginalis Spiritus S. purgavit & sanctificavit massam peccati, & ex-
tersit venenum Diaboli & mortis, quod est peccatum. Etsi mansit mors in
ea carne propter nos; tamen fermentum peccati expurgatum est, & facta
est purissima caro, per Spiritum Sanctum purificata & unita cum divina
natura in una persona.*

VIII.

Consistit autem illa sanctificatio in duobus. Nam 1. Impe-
dita est participatio hæreditarii mali, quod in omnes ordinario
modo per maris & foeminæ conjunctionem natos propagatur.
2. Transfusa est omnis puritas & sanctimonia in humanitatem
Christi,

Unfinita quanta quidem natura redemptoris humanae sui & con-
grua & necessaria.

IX.

Matthias Martinius *lib. 2. de Persona Christi, tract. 1. c. 8. p. 542.*
omnes actus Spiritus Sancti & modum formationis præcisè cona-
tur exprimere. Nam 1. Spiritus S. ait, *Sanguinis carnulenti com-
petentem portionem suâ in umbratione consecratam in uterum sanctæ vir-
ginis deduxit, tanquam massam humani corporis inde producendi.* 2. Vir-
go Maria eum sanguinem, matris instar futura, utero vitali suscepit, quod
propriè est concipere. 3. Naturæ vim, matricibus insitam, divinitus Spiri-
tus S. adjuvit & direxit, ut tum ex sanguine illo corpus fieret, tum anima
rationalis ei corpori informando adderetur. Verùm quia scriptura de
his specialibus filet, talesq; speculationes facilè trahi possunt in
abusum, nos rectius fieri putamus, si omissis modi considerationi-
bus, dicatur in genere, Spiritum S. massam virginalem sanctificâsse,
& ex illa veram naturam humanam efformâsse in utero Mariæ,
quæ propterea dicitur de Spiritu S. concepisse.

X.

Ubi simul
explican-
tur verba
Archangeli,
Spiritus S.
superveniet
in te,

Fructuosum magis est, si diligenter ponderemus verba An-
geli *Luc. 1. v. 35.* in quibus duæ latent propositiones. Prima sic ha-
bet: *πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, Spiritus S. superveniet in*
te. τὸ ἐπέλθειν, vel ἐπέρχεσθαι notat actionem non communem,
quâ DEUS concurret ad quorumvis hominum generationem,
Job. 10. v. 8. ψ. 139. v. 5. sed singularem & extraordinariam, à commu-
ni naturæ cursu segregatam. Sic dicitur *Act. 1. v. 8. Accipietis virtu-
tem Spiritus S. ἐπελεύσεται ἐφ' ὑμᾶς* supervenientis in vos, quod *Luc.*
24. v. 49. ita effertur: *Indue mini virtute ex alto.* Nam præsentia tum
universali, tum gratiosâ Mariæ virgini jam antè affuit Spiritus
Sanctus; & tamen de novo dicitur adventurus *ratione præsentia sin-
gularis,* quâ massam, ad carnem Christi deputatam, sanctificavit,
& humanam naturam in utero ejus, sine virili semine, maximo
cum miraculo efformavit. Idem verbum usurpatur pro *invasione*
fortis *Luc. 11. v. 22. Si fortior ἐπέλθω superveniens, vel vi invadens, vi-*
cerit eum; & pro celeri adventu, Luc. 21. v. 35. Dies Domini ἐπελεύσεται
ἐπὶ πάντας, superveniet in omnes tanquam laqueus, hoc est, subito &
celeri.

celeriter. Proinde quando Angelus ait ad Mariam, *Spiritus Sanctus superveniet in te*, notatur actio 1. *Singularis & miraculosa*, secundum quam antea ipsi non affuit. 2. *Potens*, & cum virtute conjuncta, quâ ipsam velociter invasit & matrem effecit. 3. *Velox & repentina*, quâ subito & præter opinionem conceptio miraculosa facta est. Nescit enim tarda molimina Spiritus S. gratia. Declarari hæc possunt exemplo adventus visibilis in die Pentecostes, ubi etiam supervenisse dicitur Spiritus S. Fuit autem ille adventus. 1. *Singularis & extraordinarius*. 2. *Vehemens*, sicut etiam venit in vento vehementi. 3. *Celer & festinus*, quia totam subito implevit domum. Talis quoq; fuit superventus S. Spiritus in Mariam, quando carnem Christi concipere debuit. *Epiphanius* observat modum loquendi, quod Angelus non dixerit, Spiritus S. veniet in te, *sed super te*, ita scribens adversus Theodotianos: *Si Gabriel dixisset S.S. veniet in te, non jam liceret existimare Filium in carnem venisse, sed Spiritum sanctum.*

XI.

Secunda propositio Angeli talis est: *Δύναμις ὑψίστη* *Προσκιάσει σοι*, *Virtus altissimi obumbrabit te*. Syrus simpliciter vertit, *obteget te*, sed major est emphasis verbi *Προσκιάσει*. In V. T. adhibetur ad notandam singularem præsentiam, *tum gratiosam*, ut Deut. 33. v. 12. *DEUS προσκιάσει ἐπὶ αὐτῷ*, *inumbrahit vel operiet eum* (Benjaminum) Luth: *Der Herr wird über Ihn halten: Tum majesticam*, ut Exod. ult. v. 35. *Nubes inumbrahit tabernaculum*, *Προσκιάσει ἐπὶ αὐτῷ*. Luth: *Die Herrlichkeit des Herren füllet die Wohnunge*. Solet *in super pro defensione sumi*, ut *ψ. 91. v. 4. Scapulus suus obumbrabit tibi*, hoc est, defendet te sub alis suis, ut avis pullos. *ψ. 140. v. 8. Obumbrasti super caput meum in die belli*, id est, defendisti caput meum in prælio. Sic umbra significat *protectionem*, ut patet ex Eccles. 7. v. 13. *Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia*, ex Hebræo sic verbum verbo redditur: *In umbra sapientia, in umbra agenti*. Es. 4. v. 6. *Tabernaculum erit in umbraculum* i. e. *protectionem*. cap. 49. v. 2. *in umbra manus sue protexit me*. *ψ. 91. v. 1. in umbra Dei commorabitur*. *ψ. 17. v. 8. Sub umbra alarum tuarum proteget te*. *ψ. 57. v. 2. In umbra alarum tuarum sperabimus*. In Nov. Testam. dicitur de obum-

Et virtus
Altissimi
obumbrabit te.

obumbratione nubis lucidæ in transfiguratione Christi *Matth. 17. v. 5. Marc. 9. v. 7. Luc. 9. v. 34.* Sic *Act. 5. v. 15.* dicitur de Petro, quòd ante faciem ejus in plateis posuerint infirmos, ut saltem umbra ejus *Ἰπισκιάση πρὸς αὐτῶν*, obumbraret quenquam illorum. Unde apparet, verbum illud, si propriè & de rebus creatis dicatur, notare externam umbræ asperisionem; sin *metaphoricè* & de DEO, importare peculiarem præsentiam, manifestationem, protectionem & singularem impletionem ejus rei, quæ à DEO inumbratur, non secus ac tabernaculum & templum suâ gloriâ ille implevit. Simile est verbum *Ἰπισκηνῶν*, inhabitare, tabernaculum figere, quod extat *2. Cor. 12. v. 9.*

XII.

Porro autem per *virtutem altissimi* duo possunt intelligi; 1. *In genere*, DEI Patris, aut Spiritus S. aut etiam totius Trinitatis actio & præsentia singularis, secundum quam operata est in Maria virgine, ut carnem Christi conciperet: ejusq; virginitas nihilominus defenderetur, & illibata maneret; atque ita vox *δυνάμεως* sumeretur *essentialiter* pro divina potentia, sese efficaciter & singulariter exerente. 2. *In specie λόγῳ* vel DEI filius, qui appellatur Patris *δύναμις* vel potentia *1. Cor. 1. v. 24.* non secus atque primogenitus appellatur in scriptura sui parentis robur & virtus, *Gen. 49. v. 3. Deut. 21. v. 17.* quo pacto ejus descensus de cælo, & adventus in uterum Mariæ ad assumendam carnem, eleganter exprimitur. Ut enim olim descendit DEUS in tabernaculum & templum, illudque suâ gloriâ replevit, quæ actio vocatur *Ἰπισκιάσμος*, vel obumbratio: Sic filius DEI in plenitudine temporis descendit in Mariæ uterum, quem obumbravit, non ab extra, & quandam virtutis umbram adspergendo; sed ab intra, & singulariter replevit, dum ex ejus castissimis sanguinibus humanam naturam assumpsit, semper tamen defendens & illæsam conservans Mariæ virginitatem. Atq; ita vox *δυνάμεως* caperetur *personaliter* pro ipso λόγῳ, qui Patris est potentia, & Mariam, per conceptionem in utero ejus, miraculosè inumbravit.

XIII.

Sic exposuit Gregorius lib. 33. Moral. c. 3. *Quia umbra, inquit,*

non

non aliter exprimitur, nisi per lumen & corpus; Virtus Altissimi virgini obumbravit, quia in ejus utero lux incorporea corpus sumpsit. Idem docet l. 18. Moral. c. 12. Umbra à lumine formatur & corpore; Dominus autem per divinitatem lumen est, qui mediante anima in utero virginis, fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in virginis utero erat incorporandum; ei, quæ incorporeum concepit ad corpus, dicitur, Virtus Altissimi obumbrabit tibi, id est, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis. Sic Beda in Homil. de annunciat: Sol, inquit, id est, divinitas Christi, tegmine se humane nature quasi umbraculo quodam, obtexit; quo mediante, virginis eum viscera ferre sufficerent, sicq; virtus Altissimi obumbravit ei, dum divina Christi potentia & eam presentialiter implevit, & ut capi possit ab ea, substantiâ se nostre mortalitatis obnubilavit. Idem tradit Damascenus lib. 3. cap. 2. Θεολογία ἐστὶν ἐπὶ αὐτῶν ἢ τὸ θεῶν τὸ ὑψίστων ἐνυπόστατον & σοφία καὶ δύναμις ὁ υἱὸς τὸ θεῶν, ὁ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, obumbravit eam Dei altissimi coëxistens sapientia & potentia, filius Dei, patri consubstantialis. De hac ipsa verò expositione fusiùs disputatum est in *considerat. Theol. Photinian.* cap. 4. p. 462. seqq.

XIV.

Patet verò ex hæcenus dictis, quòd Spiritus S. tria fuerit operatus 1. *ἁγιασμόν* vel sanctificationem Mariæ. 2. *ἀμεσον ἐνέργειαν*, miraculosam in utero virginis conceptionem sine virili semine. 3. *ἐνωσιν ὑποστατικῶν* vel admirabilem humanitatis & divinitatis in una persona concursum, dicente ita Damascen. l. 3. cap. 2, quæ summa sunt & mysteria & miracula, qualia mens nostra non percipit, fides autem reverenter suscipit. Et propter hanc causam Angelus putatur adhibuisse verbum *supervenienti & obumbrandi*, quorum emphasin & proprietatem non satis assequimur, ut illis vocabulis admoneremur, à nimia scrutatione mysterii incarnationis abstinendum esse, annotante Chemnitio par. 1. Harmon. cap. 4. mihi pag. 134. Desumpsit verò hanc observationem ex Bernardo, qui Homil. 4. super Evangel. missus est, ita scribit: *Obumbrabit tibi, hoc est, sic obumbrando teget modum, quo de Spiritu S. concipies, & occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur & tibi.* Hoc ipsum & ante Bernardum notavit Eusebius, qui l. 10. de demonstrat. cap. 8.

B Deum

Deum sic compellat: *In conceptione tu Domine, quod in utero fuit, obumbrasti, ut principes seculi hujus ipsa de Spiritu S. & de virgine conceptio lateret. Quod ingens mysterium Gabriel Archangelus indicavit, dicens: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, &c.*

XV.

Simulq³ sol-
vuntur se-
quentes
questiones,
An filius
Mariæ dici
possit filius
Spiritus S.?

Occurrit autem porro una & altera quaestio, cujus ventilatio adhuc subnectenda est. Quæritur I. An filius Mariæ dici possit filius Spiritus Sancti? Ratio dubitandi est ea, quoniam ex Spiritu sancto dicitur conceptus, *Matth. 1. vers. 18. 20.* unde videtur consequi, quod ejus rectè nuncupetur filius, ideoq; Augustinus c. 38. *Enchir.* hanc quaestionem censet explicatu difficilem. Sed in contrarium est Apostolus *Hebr. 7. v. 3.* scribens, quod Christus secundum humanitatem planè sit ἀπατρως vel sine patre, sicuti secundum divinitatem est ἀμητρως, vel sine Matre. Neque ullibi legimus, in tota scriptura, quod Christus vocetur filius Spiritus S. Et rectè *Alcuinus l. 3. de Trin. cap. 3. pag. 46.* *Si filius Spiritus S. diceretur Christus secundum humanitatem, duo patres essent in S. Trinitate, & Deus homo factus duos habuisset patres, unum divinitatus, alterum humanitatis, sed quis hoc dicere audebit?* Proinde hinc apparet magnum discrimen inter conceptionem de hominibus, & inter conceptionem de Spiritu S. Homines ex sua substantia gignunt filios, ideoq; dicuntur eorum patres vel parentes: sed Spiritus S. carnem Christi non produxit ex sua, sed ex selectæ virginis substantia, unde tantum Mariæ filius potest vocari; & nihilominus conceptio non nisi operante Spiritu S. peracta est. Rectè *Justinus Martyr Apol. 2. pro Christianis: Conceptus est ἡ ἀπὸ σπυρίτου, ἀπὸ τῆς ἀπὸ δυνάμεως non per concubitum, sed per virtutem Spiritus S. per quam Maria pragnans reddita fuit.* Et *Augustinus serm. 6. de temp. Tom. 10. Conceptus est non de substantia Spiritus Sancti, sed de potentia; nec generatione, sed jussione & benedictione.* Neque aliquem moveat particula *Ex*, (conceptus ex Spiritu S.) quia hic non materiam, sed tantum causam efficientem, sive vim & operationem Spiritus S. designat. Annotavit hoc *Ambrosius Tom. 2 l. 2. de Spiritu S. cap. 5. pag. 137.* ubi hæc Verba, quæ citat etiam *Lombardus lib. 3. sent. dist. 4. Licet pleriq; habeant de Spiritu, Græcus tamen, unde transtulerunt Latini, ἐκ τῆς*

ματ

patet & dicitur. Quod ergo ex aliquo est, aut ex substantia est, aut ex potestate ejus. Ex substantia, sicut filius, qui ait, Ex ore Altissimi prodivi; sicut Spiritus, qui à patre procedit. Ex potestate autem, sicut illud est: unus Deus pater, ex quo omnia 1. Cor. 8. Quomodo igitur in utero habuit Maria ex Spiritu S.? Si quasi ex substantia, E. Spiritus in carnem & ossa conversus est? Non utiq;. Si quasi ex operatione & potestate ejus virgo concepit, quis neget spiritum creatorem? Augustinus prolixè disserit de hac quæstione, in Enchir. cap. 37. 38. 39. & docet, non esse concedendum, quicquid de aliqua re nascitur, continuò ejus rei filium nuncupandum. Sequeretur enim aliàs eos, qui ex aqua & Spiritu S. renascuntur, propterea filios aquæ nominari posse, quòd absurdum. Damascenus rem omnem breviter exponit, dicens, Christum esse conceptum ex Spiritu S. non *καρμικῶς* vel prolificè aut ratione seminis, sed *δυνάμει* miraculosè vel ratione operationis. Brevissimis: Conceptus est filius Dei de Maria virgine *ἀκατάρακτος καὶ ἀφύργως* sine semine virili & sine corruptione, quò nonnulli accommodant illud Psalmi 72. v. 7. Descendit sicut pluvia in vellus & sicut stillicidia stillantia super terram.

XVI.

Quæritur II. An Christus propter conceptionem carnis de Spiritu S. dici possit naturalis DEI filius quoad humanitatem? Resp. Ambiguitas latet in termino *naturalis*, quo notatur, vel *ὁμοσεία*, ut filius naturalis ille sit, qui ejusdem naturæ & substantiæ sit cum Patre, quo pacto Christus tantum quoad divinitatem est naturalis Dei filius; Vel origo filiationis *φύσει*, quando ab ipso primo conceptionis momento aliquis factus est filius, sicut vocamur *filii iræ naturæ* vel naturales, hoc est, à prima nativitate Eph. 2. v. 3. Sic Adamus etiam ad imaginem Dei conditus, à quibusdam appellatur *filius Dei naturalis*, non quasi esset *ὁμοσεία*, sed quia *ύοθεσία* ex prima creatione habuit. Hoc respectu rectè dici potest, quòd *Christus quoad humanitatem sit naturalis Dei filius*, quoniam in primo conceptionis momento caro ejus sanctificata est, adeoque *ύοθεσία* accepit cum natura, non primùm impetravit post nativitatem.

An Christus propter conceptionem carnis de Spiritu S. dici queat naturalis Dei filius quoad humanitatem?

Breviter ergo λόγος est naturalis Dei filius *per naturam*, filius Mariæ est naturalis Dei filius *per gratiam*. Ibi respicitur ad ὁμοσίαν, hinc ad naturalem, vel cum natura ipsa inchoatam gratuitæ filiationis originem. Quando autem patres quidam dixere, *filium Mariæ esse ipsum naturalem & ὁμοόσιον Dei filium*, tum est prædicatio personalis, & dicitur, non quid sit filius Mariæ ratione sui, sed quid sit in unione, quâ mediante, una natura in concreto prædicatur de altera. Quia enim una utriusq; naturæ est ἰσότης, hinc filius hominis propter istam ἰσότητα unicam rectè dicitur naturalis Dei filius, non propriè & quoad suam naturam, sed personaliter, & propter unionis gratiam.

XVII.

An Christus tantum ob conceptionem ex Spiritu Sancto dicatur Dei filius?

Quæritur III. An Christus dicatur filius Dei non propter naturam divinam, sed propter hanc tantum rationem, quoniam conceptus est de Spiritu Sancto? Affirmativam mordicè tenent Photiniani, & videtur ipsis adstipulari Archangelus Luc. i. v. 35. *Spiritus S. superveniet in te, διὸ καὶ, ἰδεὸς, & quod nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Hic ab ipso Angelo causa filiationis non affertur alia, quàm conceptio de Spiritu S. unde non videtur sequi: *Christus vocatur filius Dei. E. est verus Deus*, quum ille titulus tribuatur Christo, non ob naturam, sed ob conceptionem divinam. Verum ad hoc sophisma multæ dari possunt responsiones. I. Non tantum nunciatur ab Angelo superventus Spiritus S. sed unà inumbratio virtutis Dei, per quam λόγος ὁμοόσιον intelligi posse supra ostendimus. Quia ergo ipse consubstantialis Dei filius, descendit in uterum Mariæ, & eam singulari ratione inumbravit, hinc meritò conclusit Angelus, ἁγιὸν esse appellandum Dei filium. Idem enim est, ac si dixisset: *Æternus λόγος, qui est virtus Patris Altissimi, descendet de cælo, & te inumbrabit, carnem humanam assumendo in utero tuo, ἰδεὸς, propter hanc λόγος æterni incarnationem, sanctum quod ex te nascetur, filius Dei vocabitur.* Ita planè in fumum abit objectio hæretica, quam ob causam ista veterum Patrum ἐξήγησις non ingrata nobis esse debet. II. Ex abundanti addimus, licet obumbratio virtutis Dei, de ipsa Spiritu-

Spiritus S. operatione accipiatur, nulla tamen adhuc inest argu-
mento isti Photiniano consequentia. Nam 1. Si conceptio de
Spiritu S. est causa filiationis, Christus utiq; non tam Patris, quàm
Spiritus S., quippe de quo conceptus est, filius dici deberet, quod
tamen pro absurdo habent Patres, & talis loquendi modus ex scri-
ptura probari nequit. Quocirca quum Angelus non dixerit, *Vocabi-
tur filius Spiritus S. sed Dei*, nempe Patris, aliò ipsum, quàm ad conce-
ptionem de Spiritu S. respexisse, nō malè infertur. 2. Dicimus pro-
inde, Angelum hīc insinuare voluisse complementū vaticinii Es. 7.
v. 14. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Imma-
nuel*, quod interpretamur, *Nobiscum Deus*, vel *Homo-Deus* Matt. 1. v. 23.
Hanc prædictionem jam esse implendā ostendit Gabriel, sensusq;
verborum emergit talis: *Quia tu per operationē Spiritus S. virginitate
illesā paries, hinc τὸ ἁγίου ἄνδρον sanctum, vocabitur Dei filius, adeoq; imple-
bitur vaticinium Esaiæ, de filio virginis, cui nomen Homo-Deus*. Nam qua-
tenus est ἁγίου ἄνδρ, eatenus est homo, nobis similis; quatenus ve-
rò vocatur filius Dei, est verus Deus, nobis dissimilis, atque ita si
conjugatur utrumq;, sanctum natum, & Dei filius, perfectè pro-
dit titulus prænunciatus, *Immanuel*, hoc est, *Nobiscum Deus, vel Ho-
mo-Deus*. In hac interpretatione nihil est coactum, nihil à scriptu-
ris & scopo Angeli aliènum: & patet hinc, quòd illatio non tam
petatur à conceptione de Spiritu S. quàm à virginitate illæsa, ut ta-
lis sit Angeli syllogismus: *Quod nascetur ex virgine, id vocabitur,
& erit unà verus Dei filius, & per consequens Immanuel, Homo-
Deus, constans duabus naturis juxta vaticinium Esa. 7. Atqui ali-
quod sanctum ex te virgine Maria nascetur per operationem Spiritus
S. E. Sanctum illud vocabitur Dei filius, & per consequens erit
verus Immanuel seu Homo-Deus. Sensus brevissimis hic est:
Tu virgo paries, ideoq; paries non ψιλὸν ἄνδρα, sed verum Dei, &
ὁμοῦσιον filium, quia prædictum est, eum qui nascetur ex virgine, fore ve-
rum Jehovah, adeoq; Immanuelem, Hominem Deum*. Facit huc & illa
quorundam observatio, quòd non masculinum, *Sanctus*, sed neu-
trum τὸ ἅγιον adhibetur ab Angelo. Vult enim innuere, quòd
non persona, sed humana tantum caro in utero Mariæ sit forman-
da, & sic cum filio Dei copulanda, ex cuius utriusq; concursu oria-

atur unum ὁ Θεός ὁ υἱος, quod est Christus Dei filius, verus Immanuel. III. Si maximè & hoc poneretur, quòd per appellationem filii Dei, non æterna quoad divinitatem, sed temporalis quo ad humanitatem filiatio in præsentì textu notaretur, neque sic tamen aliquid obtinerent hæretici. Nam processus fieret ab inclusiva ad exclusivam, & foret argumentum tale: *Christus* vocatur Dei filius ob conceptionem divinitus factam, adeoq; secundum humanitatem. E. *Nulla* amplius est ratio, propter quam; nulla est in eo amplius natura, secundum quam Dei filius nuncupari possit. Huic argumento nullum inesse nervum, quis non intelligit? Nam & ipsi Photiniani plures afferunt rationes, præter conceptionem, ob quas Christum putant dici filium Dei, nempe cum primis ob divinum officium, adeoq; fatentur sensum exclusivum hîc non habere locum. Possum ergo dicere, Christum nuncupari filium Dei ob conceptionem divinam temporalem, quoad humanam naturam, & tamen simul *Job. 1. v. 14.* vocari & esse unigenitum patris filium, propter æternam generationem, quoad divinam naturam. Hæc duo sunt subordinata, non contraria, ideoq; dictum hoc si accipiatur de temporali ὑποθεσία humanitatis, non est opponendum aliis dictis, quæ loquuntur de æterna filiatione λόγος, secundum quam vocatur proprius Dei filius *Rom. 8. v. 32.* & unigenitus à Patre, *Johan. 1. v. 14.* IV. *Barradius* Tom. 1. Conc. Evang. pag. 332. putat Angelum illa dicere, ut probet, Christum non esse vocandum filium alicujus viri, sed tantum Dei, hoc sensu: *Quia concipies sine viro, ex Spiritu S. hinc quod nascetur ex te sanctum, non dicetur alicujus viri filius, sed tantum Dei filius, quia ut te matrem suam in terris, sic Deum suum Patrem in cœlis agnoscit.* Favet huic expositioni *Bern. hom. 4. super Missus est*, quum ait: *Ideoq; quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei; quod est dicere, Quoniam non est de homine, sed de Spiritu S. quod concipies, concipies autem filium Dei, ideoq; quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.*

II. De Benedicta Christi

Matre.

Mater Christi fuit 1. Fœmina viro incognita. 2. Ex domo Davidis, & quidem 3. virgo. 4. Desponsata. 5. gratiosa, benedicta, sancta. 6. Nomine Maria. 7. à nobis honoranda, sed non adoranda: quæ singula ulterius paucis explicabimus.

Mater
Christi

XIX.

I. Ex sola fœmina sine conjunctione viri Salvator nasci voluit, ut per novum conceptionis & nativitatis modum, tum ipse innotesceret, tum singularis hujus mysterii ratio innueretur. Sunt enim quatuor modi productionis hominum. (1.) Sine viro & fœmina, quo pacto Adam productus est. (2.) Sine fœmina, sed non sine viro, ut Eva, quæ ex Adami costa est formata. (3.) Ex viro & fœmina, ut omnes alii homines generantur. Deerat adhuc modus (4.) Ex fœmina sine viro, qui singulariter est reservatus Messia, novus modus novo homini, quartus & ultimus modus in quarta & ultima mundi ætate patefactus, quò referunt vaticinium Jeremiæ, c. 31. v. 22. *Rem novam creavit Dominus, fœmina circumdabit virum.* Et propter hoc Messias vocatur semen mulieris, non viri, Gen. 3. v. 15.

Fuit fœmina,
viro incognita,

XX.

II. Ex fœmina de Domo David nasci Salvator voluit, ut implerentur Prophetarum vaticinia, & divina decreta. Prædictum est, Christum fore semen mulieris in genere, Gen. 3. v. 15. post restrinxit Deus promissum illud ad semen Abraham, Gen. 22. v. 18. Isaac, Gen. 26. v. 4. Jacobi, Gen. 28. v. 14. & peculiariter ad tribum Judæ, Gen. 49. v. 10. quæ quum in multas familias esset divisa, in specie nominata est stirps Jessæ, Esa. 11. v. 1. & ex hac domus David, 2. Sam. 7. v. 12. quæ prædictiones ut ipso complerentur opere, matrem Christi è domo Davidis esse oportuit: quod ipsum inter alia idè est factum, ut regia stirps dignitatem Messia adderet, ejusq; officium regium adumbraret.

Ex Domo
David,

Virgo

Et quidem
 Virgo,
 Ut cōceptio
 & natiuitas
 λόγος red.
 deretur no-
 bilior.
 Ut Christus
 conciperetur
 absq₃
 peccato,
 Ut lapsui
 responderet
 ipsa repa-
 ratio.
 Ut unus tā-
 tum Christi
 maneret
 Pater.

III. Virgo fuit mater Domini, rursus ob prædictionis Esa. 7.
 v. 14. complementum, & deinde ob rationes alias. Nam factum
 id (1.) Ut conceptio & natiuitas æterni λόγος esset nobilior. Decuit enim
 Creatorem non consueto, sed peregrino admirandoq; uti partu,
 qualis est ex virgine, docente Ignatio epist. 10. & Chrysostomo homil.
 49. in Gen. cuius hæc verba: Ingressum nostri omnium Domini, dignio-
 rem esse oportet, quàm nostrum: Regius enim fuit introitus. (2.) Ut
 conciperetur absq₃ peccato. Omnes enim, qui ex viro & femina post
 peccatum nascuntur, non sine peccato nascuntur, Psal. 51. v. 7. Job.
 3. v. 6. Rom. 5. v. 12. Christum autem oportuit nasci absque peccato,
 ut nos liberaret à peccato Hebr. 7. v. 26. ideoq; non ordinario, sed
 singulari modo ex solius virginis substantia productus est. Leo M.
 ferm. 2. de natiuit. Novâ natiuitate generatus Christus, quia conceptus à
 virgine, natus ex virgine sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ
 integritatis injuria: quia futurum omnium Salvatorem talis ortus decebat,
 qui & in se haberet humane substantiæ naturam, & humane carnis iniqui-
 namenta nesciret. (3.) Ut lapsui responderet ipsa reparatio. Quia enim
 per mulierem peccandi factum est exordium, 1. Tim. 2. v. 14. & qui-
 dem per virginem, quoniam Eva, quum causa transgressionis viro
 esset, adhuc virgo fuisse putatur, nondum ab Adamo cognita; ex
 sola etiam muliere, sine conjunctione viri, nasci debuit Salvator,
 tollens peccata mundi, quò sic per eum sexum veniret remedium,
 per quem introductum est malum. Tertull. l. de carne Christi: In
 virginem introducendum erat Dei verbum exstructorium vitæ, ut quod per
 huiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur
 in salutem. August. ferm. 13. de Natiuitate: Quia per mulierem in hunc
 mundum mors intravit, salus per virginem reddi debuit. Chrysologus de
 Annunc. Agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eva Angelus ege-
 rat de ruina. (4.) Ut unus tantum Christi maneret Pater. Nec enim
 conveniens fuisset, unum eundemq; filium duos habere Patres,
 alterum in cœlis; alterum in terris; sed decuit, ut sicut divinita-
 tem accepit à solo Deo Patre; sic humanitatem acciperet à sola
 matre virgine, adeoque esset ἀμῆτωρ, quâ Deus, & ἀπάτωρ,
 quâ homo, & ita impleret typum Melchisedechi, de quo Hebr.
 7. vers. 3. Notes autem, quòd hîc non de personalibus, sed
 pro-

propriis locutionibus agamus. Nam DEUS Pater est Pater totius Christi, DEI & hominis, personaliter, quia Pater est personæ; sed non est totius Christi Pater propriè & naturaliter, quia humanitatem ex sua substantia non produxit: Sicuti Maria est mater totius Christi, DEI & hominis, personaliter, non tamen est mater divinitatis propriè loquendo. Nam persona tantum est una, sed naturæ duæ: Ob unitatem personæ fit, ut de illa prædicentur omnia; sed non semper secundum utramque, sed sæpius secundum alterutram naturam. Sic DEUS est Pater totius personæ, sed secundum divinitatem, propriè & naturaliter; Maria est mater totius personæ, sed secundum humanitatem propriè & naturaliter.

XXII.

Addunt Patres nonnulli hanc rationem, (inter quos *Damasceus* l. 3. c. 2. *Ambrosius* epist. 81. *Naxianz.* orat. 2. de laudibus *Ba-* *Falsò autem filii*) ut castitas hoc exemplo commendaretur universis, quippe quæ remun- *asserunt* nerata fuit per conceptionem *Messia.* Non tamen hoc accipiendum *Pontificii,* est sensu Papistico, qui putant, Mariam perpetuum virginitatis vo- *quòd Ma-* tum vovisse, & ita dignam esse inventam, quæ fieret mater *ria virgo* *toris.* Ita censet *Baronius,* Tom 1. pag. 33 edit. Antverp. & probare *virginita-* conatur ex ejus responso, *Luc. i. v. 34. Quomodo fiet istud, quoniam tem vove-* *virum non cognosco?* Non enim ipsam putat ad rem respondisse, *rit.* nisi perpetuam vovisset virginitatem. Nam facilè ex viro concipere potuisset in posterum, etiamsi tunc nondum concepisset. Quia verò hoc impossibile censuit Maria, hinc virginitatem vovisse, infert *Monachus.* In quam sententiam allegat *Augustinum & Nyssenum,* tandemq; concludit pag. 34. lin. 30. *Neminem dissentire, nisi stolidissimam hereticorum factionem & satellitum, qui ad impugnanda sacra vota virginitatis & continentia, egregiam Diabolo navant operam.* Verùm hanc *Baronii* sententiam monasticam adprobare non possumus.

I. *Quia est incerta nullusq; fundamentis solidis superstructa.* Primus sententiæ hujus author est *Nyssenus,* qui hausit eam ex apocrypha historia, ut ipse fatetur. Et desumpta est ex *Marcionitarum* traditionibus, qui tria prima capita eradebant ex Evangelio *Luca,* & *Mariae* affingebant votum virginitatis, ut suas nugas splendidius per-
C suade-

suaderent. Ex illa traditione hæretica & Scriptura apocrypha
desumfit dogma hoc Nyssenus, ex quo postmodum hauserunt cæ-
teri omnes. Accessit nimia reverentia Patrum erga Mariam;
Quia enim status virginitatis præponitur conjugio, 1. Cor. 7. hinc
ne Maria iis videretur inferior, qui virginitatem ex proposito co-
lunt, interesse putârunt gloriæ illius, ut dicerent, illam ἀγαμον
γάμον contraxisse, ut loquitur Casaubonus, Exer. 1. p. 120. Sed co-
gitare debuissent illud Epiphani: Ἰση βλάβη τῶν κατὰ Μιλιζόντων
τὴν αἰγίαν παρθένον, τῶν δὲ ὑπὲρ τὸ θεὸν δοξαζόντων, Par detri-
mentum veræ religioni asserunt illi, qui vilem habent beatam virginem;
& illi, qui ultra fas gloriæ illius, adaugent. Ad conjecturam ex Luc. 1.
v. 35. responsio est facilima. Angelus enim intelligebat tempus
jam jam imminens, quòd subito conceptura & brevi esset paritu-
ra. Hoc Mariæ videbatur absolum, quia virum non cognoscat,
hoc est, nondum cognoverit, q. d. *Desponsata quidem sum, ut virum
cognoscam, sed nondum cognovi: Quomodo igitur tam citò, imò hodie, &
jam concipere possum?* Hinc ergo ipsa tantum virginitas Mariæ, nul-
lum autem virginitatis votum probari potest. Tum verò & illud
valdè novum fuit virgini & admirabile, conceptum partumque
nullâ matrimonii consummandi, vel Josephi sponsi mentione fa-
ctâ, perinde ut jam nuptæ, prænuntiari. Quærebat igitur, *Quo-
modo id fiet, quia virum non cognosco, sum adhuc intacta & illi-
bata virgo? Quomodo mox ad nuncium tuum, præsertim ad sonum
verborum tuorum concipiam; Num debeo statim cum Jose-
pho concumbere, vel quâ ratione partus iste peragetur?* Ipsa
etiam Romana Ecclesia statuit, promissum fuisse conceptum subitaneum,
ad sonum verborum Angeli; & sic intellexisse Mariam.
Tota enim Lucæ historia id ostendit, & hinc Pontificii diem an-
nunciationis statuerunt diem 25. Martii, ut diei Natalitio Christi
respondeat; & in oratione diei illius dicunt; *DEUS, qui de bea-
te Mariæ virginis utero Verbum tuum, Angelo nunciante, carnem suscipe-
re voluisti, &c.* Hinc ergo patet causa quæstionis, & quòd Maria
ineptè non responderit, quia subitanei conceptus causam inquisi-
vit. Bellarmius l. 2. de Monachis, c. 22. & Gregorius de Valentia,
Tom. 3. disp. 10. quæst. 4. pun. 1. col. 2270. B. conantur excipere ad
has

has responsiones; sed omnia tam sunt frivola, ut responsione indigna judicem, quoniam ex dictis, & mox dicendis facilimè solvi possunt. Ex abundantia autem videatur Junius in animadversionibus ad dictum caput Bellarmini; Sutilivius l. de Monachis, c. 24. Hospinianus, de orig. Monach. cap. 12. Pelargus in c. 1. Matth. p. 27. 28.

II. *Quia est Scripturis contraria.* Nam (1.) Matth. 1. v. 18. legitur, *Quum esset desponsata mater ejus Maria Josepho, & prius eum convenisset in utero.* Sponsalia igitur inter personas istas duas sunt instituta, ut convenirent: Quomodo igitur Maria virginitatem vovisse potuit? An Josephum decipere voluit, quum non ignara esset, quem ob finem fieret desponsatio? (2.) Josephus Mariam, quum imprægnatam cognosceret, voluit occultè dimittere, v. 19. Ast si cum ea nolisset connubialiter vivere, certè causam dimissionis adeò gravem non habuisset. (3.) Eodem cap. v. 24. dicitur: *Acceptit Joseph conjugem suam, & non cognoscebat eam.* Quare antea voluit omninò cognoscere, & animum maritalem erga ipsam habuit. (4.) Maria Josepho expressè desponsata dicitur, Luc. 1. v. 37. & conjux ejus, Matth. 1. v. 20. 24. At sponsalia cum viro celebrare, & voto virginitatis obstrictam esse, se invicem tollunt. Maria ergo vel Josephum decepit, vel planè stolidam fuit, ut desponsationem & matrimonium virginitatis votum tollere ignoraret. Excipiunt quidem Scholastici, *fuisse desponsatam ad custodiam virginitatis.* Verùm hoc incertum est, ridiculum, absurdum, & nullum ex Scripturis potest proferri exemplum, ubi virgo fuerit desponsata viro tantum ad custodiam virginitatis, non autem in procreationem sobolis. (5.) Maria vovit aut ante, aut post desponsationem. *Si ante,* desponsari non potuit: *Si post,* vovere non potuit sine violatione prioris fidei. Spectat huc locus 1. Cor. 7. v. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir.* Et adversarii dicunt ipsi ex 1. Tim. 5. damnabile esse simpliciter, velle post votum nubere, quia sic prima fides fieret irrita. (6.) Sacerdotes & Pharisei vocabant Christum Josephi & Mariæ filium. Jam si scivissent, illam vovisse ac servasse virginitatem, & si Josephum tantum, ut custodem adjunxissent Mariæ, uti nugantur Pontificii, certè ista dicere

cere non potuissent. (7.) Rem tam insignem Apostoli & Evange-
listæ non tacuissent; Eorum ergo silentium opinionem Papisti-
cam planè facit suspectam. (8.) Gens Judaica virginitatem vo-
vere non solebat, teste *Augustino*, lib. de Sacr. virgin. c. 4. *R. Kirchi*
in c. 56. *Esa.* & *R. Salomon* in c. 9. Gen. Hinc *Elisabetha* paritura di-
cit, *DEUM* abstulisse *ovèd* & vel opprobrium suum. Maria igitur
rem adèò novam procul dubio non fuisset aggressa sine mandato
aut revelatione, aut exemplo. Sed nihil horum probari potest.
Bellarminus quidem ad revelationem confugit, at sine ratione.
Argumenta hæc plana sunt, unde miror, quid moverit *Casaubonum*,
ut *Exerc.* i. p. 121. seqq. opinionem istam monachalem languidius
refutet, nec pro explorato errore habere velit.

XXIII.

Fuit autem mater Domini non virgo libera, sed desponsata, IV. Mater Domini non fuit virgo libera, sed
jam desponsata *Josepho*, *Matth.* i. v. 18. *Luc.* i. v. 37. de quo tan-
tùm hoc scimus ex Scripturis, quòd fuerit de domo David, filius
Jacobi, officio faber, in vita justus, quem pro naturali Patre Chri-
sti habuerunt Judæi, *Luc.* 3. v. 23. quum tamen fuerit duntaxat Pater
cura, non natura, uti loquuntur veteres. Cur autem non ex libera,
sed desponsata virgine Messias natus sit, causæ à variis afferuntur
variæ. Factum id putatur.

Id quod factum propter Christum, I. Propter Christum; ne à Judæis & infidelibus tanquam il-
legitimè natus rejiceretur; deinde, ut nutritium defensorem ac cu-
stodem haberet, in ætate sua infantili; & tandem, ut partus virginis
ad tempus lateret Diabolum, quæ *Basilii* cum multis aliis senten-
tia est, *Tom.* i. homil. 25. de Nativ. p. 232. Sed rejicit hanc rationem
Abulensis, quæst. 31. in *Matth.* & *Scorus* in 3. Sent. dist. 30. quæst. 2.
quia Diabolus virginem potest facilè à corrupta discernere, vel si
dicatur impeditus fuisse, idem statui poterit, etiamsi desponsata
non fuerit.

Propter Mariam matrem, II. Propter Mariam matrem; (1.) ne in fornicationis suspi-
cionem traheretur, vel tanquam adultera secundum legem *Mosis*
lapidibus obrueretur; (2.) ut haberet adiutorem in laboribus,
rebusq; ad vitam necessariis, & comitem in fuga *Ægypti*, testemq;
pudicitia, unde *Bernardus* hom. 2. super *Misus* est: *Dicam, quod mi-*
hi, imò

hi, imò quod ante me Patribus visum fuit: Illa utiq; fuit ratio desponsationis Mariæ, quæ & dubitationis Thomæ; sicut Thomas dubitando, palpando constantissimus factus est Resurrectionis confessor: Ita Joseph Mariam sibi desponsando, ejusq; conversationem comprobando, factus est pudicitie testis fidelissimus. (3.) Et deniq; , ut per societatem Josephi origo Mariæ virginis tanquam cognatæ ac propinquæ demonstraretur, quæ ratio ab eventu & Evangelistarum praxi desumpta est, eamq; urfit Hieronymus contra Helvidium.

III. Propter nos ipsos, (1.) Ut utrumq; statum, virginitatis & conjugii DEO placere, sanctumq; esse indicaretur: quam ob causam Basilius scribit: *Et virgo erat, & viro desponsata, & apta conjugali officio obeundo putata, ut & virginitas in honore ante omnia haberetur, & matrimonium propterea non improbaretur.* (2.) Ut modo lapsus responderet modus reparationis. Sicut enim origo injustitiæ ex conjugatæ virginis inobedientia quondam tracta est; sic Messias justitiæ instaurator per virginem desponsatam nasci debuit. Et demum (3.) ut mystica Ecclesiæ desponsatio innueretur. Nam veluti Christus elegit sponsam, quò fieret mater: Sic Ecclesiam ex gentilibus & Judæis sibi desponsare in Novo Testamento voluit, quò multos ad salutem liberos produceret. *Chrysologus serm. 146. Sponsa queritur, ut jam tunc Ecclesia Christi sponsa signetur.*

XXIV.

V. Mater Domini duobus epithetis vel elogiis honoratur. Porro alterum est Angelicum; alterum Ecclesiasticum. Angelus eam nominat *κεχαρισμένην* vel gratiosam, aut gratiâ plenam; itemq; *εὐλογημένην*, benedictam, Luc. 1. v. 28. quod non intelligendum est activè, quasi fons esset ac causa gratiæ ac benedictionis; siquidem hoc respectu tantùm ejus Filius vocatur gratiâ plenus, Job. 1. v. 14. benedictus, Luc 1. v. 43. quia in illo solo benedicuntur omnes homines, Gen. 12. v. 3. c. 22. v. 18. Sed passivè, quoniam à DEO singularem gratiam & benedictionem accepit, dum præ omnibus mulieribus ad conceptionem & partum æterni λόγος electa fuit. Ecclesia communiter vocat *ἀγίαν παρθέρον*, sanctam virginem, sanctam Mariam. Sancta verò fuit & est quadrupliciter: (1.) Singularem electione & consecratione, quatenus à DEO ad partum filii ex gratia peculiari sa-

Ubi falsò
fingunt
Pontificii,
quòd absq;
peccato ori-
ginis sit con-
cepta.

crata & destinata est; Ita enim vox sancti sæpe sumitur, ut *Luc. 2. v. 23.* Sanctum Domino vocabitur vel deputabitur. (2.) *Imputatione*, quatenus illi, ut & aliis credentibus imputata fuit sanctitas filii, qui *1. Cor. 1. v. 30.* nobis sanctificatio factus dicitur. (3.) *Renovatione*, quatenus per verbum & Sacramenta fuit purgata, adeoq; inchoativè sancta, quo sensu omnes pii appellantur sancti vel sanctificati, *Phil. 1. v. 1.* & alibi. (4.) *Consummatione*, quatenus jam in cœlis vivit gloriosa, & perfectâ sanctitate quoad animam induta, siquidem beati cœlites nuncupantur sancti, *1. Thess. 3. v. 13.* *2. Thess. 1. v. 20.* Hisce sanctitatis speciebus vel modis adhuc aliam addiderunt Monachi, qui eam ab utero sanctam & sine peccato originali natam finxerunt, mentientes, eam non ordinariè, sed miraculosè, & per osculum, quod Pater Joachim matri Annæ fixerit, conceptam esse, referente *Osiandro*, cent. 1. lib. 1. Quòd autem Maria ab omni peccato, præsertim Originali non fuerit immunis, neque hoc respectu sancta vocari possit, probatu non est difficile. Urgemus nos (1.) *Scripturæ universalitatem*, quâ omnes homines dicuntur peccatores, & in peccatis concepti, *Job. 14. v. 4.* *Psal. 14. v. 3.* *Job. 3. v. 6.* *Rom. 3. v. 27.* *1. Cor. 5. v. 12.* nec quisquam aut quæquam excipitur, nisi solus Christus, *Luc. 1. v. 35.* *Heb. 4. v. 15.* *1. Cor. 7. v. 26.* Speciale igitur privilegium Mariæ, quod temerè assumunt, prius probare debeant. (2.) *Scripturæ silentium*, quæ talis prærogativæ nusquam meminit. In quæstionibus autem fidei valeat illud Petrinum: ἡ δὲν ἀπὸ γένεσός τῆς. (3.) *Mariæ redemptionem & justificationem*. Nam & pro illa Christus mortuus est, & illa redempta, pariq; cum aliis modo (unde enim probabitur diversum?) justificata est, nempe per remissionem peccatorum, *Rom. 4. v. 7. 8. 9.* à quibus propterea immunis esse non potuit. (4.) *Mariæ precessionem*, in qua cum Apostolis perseveravit, *Act. 1. v. 14.* cujus primaria pars procul dubio fuit oratio Dominica, in qua inter alia petitur remissio peccatorum. (5.) *Mariæ peccata actualia*, ut quòd non eâ, quâ par erat, curâ custodivit Christum, *Luc. 2. v. 43.* quòd in nuptiis Cananæis Christo præscribere ausa fuit, ob quod reprehensa, *Job. 2. v. 4.* quòd etiam dubitavit de regno Messiae, ejusq; resurrectione. (6.) *Mariæ calamitates & mortem*, quibus non fuisset subjecta, si omni caruisset

isset peccato. Quod verò dicitur de assumptione Mariæ, id funda-
 mento caret, & Monachorum fabula est. (7.) *Christi conceptionem.*
 In ea enim sanguis Mariæ, ex quo caro Christi formata, per Spi-
 ritum supervenientem à peccato purgatus est, *Luc. 1. v. 35.* ex quo con-
 sequitur, eam à peccato omni non fuisse immunem, quum aliàs
 sanctificatione opus non fuisset. (8.) *Novitatem hujus dogmatis.*
 Ignorant id Patres antiqui, ut *Ambrosius*, l. 2. in *Lucam*. *August.*
tract. 4. in *Joh. 1.* de fide ad *Petrum*, c. 26. de nuptiis & concupi-
 sceutia, c. 12. l. 5. contra *Julianum*; c. 9. l. 10. de *Gen. ad lit. cap. 18.*
 (9.) *Varietatem opinionis Papistica.* *Lombardi* sententia est, Mariam
 fuisse conceptam in peccato, sed in conceptione Christi purga-
 tam esse ab illo, l. 3, dist. 3. lit. A. B. *Thomas* par 3. quæst. 16. scribit;
Maria massam primùm in peccato fuisse conceptam, sed post animationem
statim sanctificatam, sic tamen ut fomes remanserit, qui primùm in con-
ceptione Christi sit sublatus. *Bellarminus* l. 4 de amiss. grat. & pecc.
 c. 15. 16. statuit, in prima figuratione habuisse peccatum, sed post
 animationem purgatam esse.

XXV.

VI. Nomen matris Domini fuit Maria, Hebraicè *Nomen*
 מַרְיָם, Syr. מַרְיָם, quo nomine & soror Moysis insignita legi- *verò matris*
 tur, *Ex. 15. v. 20* Schindl. in *Lex. col. 1715 A.* derivat à rad. מַרַּם ex- *Domini*
 altatus fuit, ut Maria idem sit, quod eminens vel excelsa. Alii de- *fuit Maria,*
 rivant à מַרַּר amarus, acerbus fuit, ut Maria dicta sit velut ama-
 ra, ob dolorum acerbicatem; quos sustinuit. *Chytraeus* in *Onoma-*
stico refert p. 510. quosdam vertere doctricem populi, à מַרַּר do-
 cuit, & מַרַּם populus. *Hieronymus* memorat; Mariam sermone Syro
 dominam nuncupari: מַרַּם Syris est Dominus, unde illud *1. Co-*
rinth. 16. v. 22. μαρὸν ἀθά, *Dominus venit*, scilicet ad iudicium; It.
 Illud *Judæ v. 14. 15.* ἡλθε κύριος cum sanctis millibus suis. Sensus
 ergo est: *Sit anathema, quum Dominus veniet ad iudicium.* Nonnulli
 derivârunt à מַרַּם, quæ vox stillam vel guttam notat, *Es. 40. v. 25.* &
 מַרַּם mare, ut Maria sit dicta quasi *stilla maris*: quod annotat quoq;
Hieronymus, l. de nominibus Hebraicis. Hoc procul dubio ama-
 nuenses non intelligentes, pro stilla scripserunt *stella*; quam vocem
 arri-

arripuit *Barradius* l. 6. c. 4. p. 267. 268. & multis dixerit, quo sensu
Maria nominetur *stella maris*. Ridiculum caput! Putat stellam ma-
ris nominari, quia illuminet hunc mundum, qui comparatur ma-
ri. Alii à מַרַר & מַיְ deducunt, ut Maria sit *amarum mare*. Differit
de hoc nomine *Barradius* l. d. scribens: *Mariam nuncupari mare, quia
sit Oceanus omnium gratiarum, donorumq; Spiritus Sancti, sed amarum,
ob dolores, quos in morte Filii pertulerit acerbissimos. Verum hæc omnia
sunt inepta & absona, qualia & ista Bonaventura in speculo, cap. i.
Maria mare est, gratiâ affluendo; & amara, filio compatiendo; & amarum
mare est, Diabolum submergendo, quemadmodum mare rubrum amarum
fuit Ægyptiis in ipso submersis.*

XXVI.

*Que mini-
mè adoran-
da est.*

VII. Tandem uti mater Servatoris ab omnibus honoranda; sic
à nemine adoranda est. Honor illi debetur tanquam pro-
phetissæ in terris, *Es. 8. v. 3.* Sanctæ in cœlis, benedictæ inter mu-
lieres, beatæ inter omnes generationes, *Luc. 1. v. 49.* qui honor con-
sistit in hisce membris quatuor: (1.) *Ut* gratias agamus Deo, quòd
illam elegerit in matrem Salvatoris. (2.) *Ut* eam amore prosequa-
mur. (3.) *Ut* ipsam virtutesq; ejus celebremus, & (4.) pro virili sem-
per imitemur. Absit tamen, ut divino illam honore afficientes, in-
vocemus religiosè, quasi esset omniscia, ut audire, & omnipotens,
ut exaudire possit nostra suspiria. Hujus enim cultus nec habemus
præceptum, nec exemplum, nec promissionem ullam. *Epiphanius*
*rectè: Mater Domini est quidem virgo honorata, sed non ad adorandum da-
ta, de quo in loco de Invocatione Sanctorum fusius disputari solet.*

XXVII.

III. De materia, ex qua corpus CHRISTI formatum est.

Constat homo duabus partibus, *animâ & corpore*: Ultramque
λόγος & assumpsit, utraq; in utero Mariæ producta est; anima sine
materia, corpus ex materia, de cujus ratione hic quæritur.

*Materia
corporis
Christi.*

Brevissimis autem dicimus, quòd Materia corporis CHRISTI
fuerit. 1. *Ratione sui esse Massa ἀεὶ ἀκίνητη*. 2. *Ratione sue originis non
de novo creata, sed in utero Mariæ, sine conjunctione viri elabo-
rata.* 3. *Ratione sue qualitatis sanctissima, & omnis peccati expers.*

XXIIX.

XXVIII.

I. Massam *αεγμαλινω* fuisse oportet, quia ordinarius generationis modus eam requirit. Neque probari potest, carnem Christi miraculosè creatam, aut ex nihilo productam esse, ideoq; Scripturâ silente, nullum hîc miraculum est fingendum. Fuit autem semen tantùm virgineum & purissimum, quia sine viri cognitione Maria virgo concepit.

Fuit massa
αεγμα-
λινω.

XXIX.

II. Massa illa non fuit vel cœlo delata, vel aliunde formata, sed in Maria utero elaborata, unde Christus dicitur *fructus ventris Mariae*, Luc. 1. v. 42. quod ideò factum putant orthodoxi Patres, (1.) ut ex isto genere, quod à Diabolo erat superatum, de Diabolo triumphus ageretur, quò collimat illud Apostoli, Hebr. 2. v. 14. *Particeps factus est carnis & sanguinis, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium.* Differit de hac ratione Augustinus, lib. 3. de Trinitat. cap. 18. (2.) Ut Deus placaretur ab eo, à quo fuerat offensus. Justum enim est, ut qui peccavit, vel ipse, vel pro ipso alius, ex eodem tamen genere satisfaciat. Ideò Deus homo factus est, ut de suo liberaretur homo, scribit Hugo in Sentent. Certè conveniens est *τὸ συζευεῖ τὸ συζευεῖς simile sanari per simile*, uti Basilii innuit in Orat. de Annunciat. (3.) Ne quis esset inter homines, qui ab illo primo non esset homine, quam rationem Anselmus adducit l. 2. Cur Deus homo, cap. 8. (4.) Ut ostenderetur, Christum esse verum mundi Messiam & Salvatorem, quippe de quo prædictum, quòd ex semine Abrahamæ & Davidis sit oriundus, non ratione Patris, quò caruit; sed tantùm matris, quæ è domo Davidis originem traxit, & ex cujus castissimis sanguinibus humanitas Christi formata fuit. (5.) Ut divina potentia & bonitas magis eluceret, quòd illa ipsa natura, quæ lapsa & corrupta est per peccatum, ad tantam dignitatem evecta fuerit, quam rationem affert Thomas, par. 3. quæst. 4. art. 6.

In utero
Mariae el-
aborata,

XXX.

III. Massa illa fuit *sanctissima*, & ab omni peccato immunis, non ratione primæ conceptionis, quasi Maria absq; peccato originis fuisset nata, sed propter sanctificationem supervenientis Spiritus.

Sanctissima
& ab omni
peccato im-
munis,

D

Nulla

Nulla quidem particula corporis Mariæ caruit peccato in se; ista tamen massa, ex qua corpus Christi formandum, & quæ ante nuncium Angelicum contaminata fuit, postmodum purgata est, ut ex illa conciperetur sanctum, *Luc. 1. v. 35.* Olim fabulati sunt nonnulli, memorante *Thoma* in 3. Sentent. dist 3. qu. 4. art. 1. Par. 3. Summæ, q. 31. art. 7. partem nobiliorem massæ illius, ex qua factus est Adam, servatam fuisse intactam in eo, & postea in Sethum transfusam, & per descendentes omnes usque ad Joachim parentem Mariæ propagatam, ex qua beatæ virginis conditum sit corpus, ut ita sine peccato conciperetur Messias. Sed hisce fabulis opus non est, quum ex Scripturis sciamus, filium Mariæ ideò sanctum, & sine peccato natum esse, quia de Spiritu sancto, qui materiam massamq; corporis mundavit, singulari & extraordinario modo conceptus fuit. Hinc Messias à Jeremia in abstracto vocatur justitia, *cap. 23. v. 6.* à Daniele Sanctus Sanctorum, *cap. 9. v. 24.* à Zacharia justus & Salvator, *cap. 9. v. 9.* ab Apostolo Pontifex per omnia tentatus absque peccato, *Hebr. 4. v. 15.* innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, *cap. 7. v. 26.* à Petro justus κατ' ἐξοχλήν, *1. Petr. 3. v. 18.* itemq; agnus inculpatus & incontaminatus, *1. Petr. 1. v. 18. 19.* Omnes quidem, qui ex semine viri concipiuntur, in peccatis concipiuntur, *Rom. 5. v. 12.* Christus autem sine virili semine, & per consequens sine peccato conceptus est: Aliàs enim nec Deitati uniri potuisset humanitas, neque ulli parti muneris sui sufficiens fuisset, quia nec justitiam docere, nec peccata expiare nec pro peccatoribus intercedere, nec universam Ecclesiam tutò regere potest, nisi justus, nullisq; peccatis obnoxius. Hinc Augustinus rectè: *Eum oportuit sine peccato concipi & nasci, qui venit, ut mundi tolleretur peccatum.*

XXXI.

Et in contrarium nihil solidi proferri potest.

Sed contra opponitur (1.) Christus est filius Davidis & Abrahami, *Matth. 1. v. 1.* & Adami, *Luc. 3. v. 38.* & dicitur assumpsisse semen Abrahamæ, *Hebr. 2. v. 16.* Quare conceptus est de virili semine, & per consequens in peccato. Resp. Distingui debet inter substantiam humanam, & inter modum communicationis. Quoad illam, Messias est filius Abrahami & Adami; sed quoad hunc gaudet peculiari privilegio, quia natura

natura ejus humana sine virili semine ex solis sanguinibus Mariæ, operante Spiritu sancto, formata, & λόγῳ adunita est, ideoq; ab omni peccato immunis extitit.

2. *Quicumq; fuerunt in Adamo, ii peccaverunt*, Rom. 5. vers. 12. *Sed Christus fuit in Adamo, quia ex uno sunt omnes*, Hebr. 2. v. 11. Ergo *Christus in Adamo simul peccavit*. Resp. Major limitanda est. Dupliciter enim aliquis in Adamo fuisse dicitur, tum quoad substantiam; tum quoad formam seminalem, uti loquitur *Augustinus*, l. 10. de Gen. ad lit. cap. 19. per quam intelligit ordinariam conceptionem ex conjunctione viri & foeminae. Qui utroq; modo fuerunt in Adamo, ii unâ peccaverunt. De Christo autem nequit utrumq; asseri, sed duntaxat primum, quia in Adamo quidem fuit quoad substantiam humanæ naturæ, sed non quoad rationem seminalem, & ordinarium nativitatis modum. Atque ita Christus quâ homo, ortum quidem habuit ex Adamo, sed non per Adamum, ideoque non peccavit in Adamo.

3. *Ubi mors, ibi peccatum, quia mors peccati stipendium*, Rom. 6. v. ult. *At verò Christus morti fuit subjectus, Ergo & peccato infectus*. Resp. Distinguiamus (1.) Inter mortem necessariam & voluntariam. Illa stipendium peccati est, hæc non item. At verò Christus non ex necessitate mortuus est, sed liberâ voluntate, unde *Esaias cap. 53. v. 7.* ait: *Oblatus est, quia ipse voluit*, quod sic declarat *Salvator*, *Joh. 10. v. 18.* *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso*. Præclare *Augustinus*: *Moriebatur Christus non coactè, quia omnipotens; non jure, quia innocens; sed liberè, quia misericors & clemens*. (2.) Inter peccatum inherens & imputatum. Inherente Christus caruit, imputatum habuit, adeoq; morti subjectus fuit, non propter inhesionem peccati proprii, sed ob imputationem alieni. *Vulneratus enim est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra, quæ posuit in eo Dominus*, *Esa. 53. v. 5. 6.*

XXXII.

Disputant hîc Scholastici; *An spectando etiam potentiam Dei absolutam fuerit prorsus impossibile, Christum peccare?* Affirmat *Scotus* in 3. Sent. dist. 12. qu. 1. & *Durandus* ibidem, qu. 2. Negat *Thomas*, in 3. dist. 12. qu. 2. *Bonaventura* ar. 2. qu. 1. Verùm hæc quæstio (1.) cu-

riosa est, quia quærit non de facto, sed possibili. (2.) *infructuosa*, quia nullum inde commodum, (3.) *scandalosa*, quia per eam Christi sanctitas in dubium vocatur. Si quis tamen ineptias spinasq; Scholasticas de hoc problemate velit cognoscere, is consulat *Valentianum*, Tom. 4. disp. 1. quæst. 15. pun. 2. col. 355.

XXXIII.

IV. De forma vel modo productæ conceptæq; humanitatis.

Tria hic in considerationem veniunt: 1. *Productio anime*. 2. *formatio corporis*. 3. *conceptio totius humanitatis*, de quibus agemus ordine.

XXXIV.

1. *De productione anime*,

Christi anima non fuit immediate creata,
Sed in utero Mariae producta.

Origines l. 1. de principiis, c. 7. 8. statuit, animam Christi fuisse creatam immediate, & præextitisse ante corpus Christi. Eiusdem opinionis fuit *Nemesius*, l. 2. Phil. S. c. 6. Sed hæc sententia plane absurda est, & refutatione indigna. *Zanchius* l. 2. de Incarn c. 3. quæst. 5 p. 133, affirmat, *animam Christi è nihilo creatam esse à Deo*, quia & aliorum hominum animæ non propagentur per traducem, sed creantur, quem sequitur *Martinus*, lib. 2. de Christo, tract. 1. cap. 12. pag. 622. & *Perkinsus* in explicatione symboli, col. 595. Verum (1.) desunt rationes, quibus immediata creatio animæ Christi probetur firmiter. (2.) Incerta, imò falsa est hypothesis de omnium animarum creatione, quam ob causam thesin illam nos invertimus, ita colligentes: *Qualis est productio animarum ordinaria, talis & fuit productio animæ Christi: Sed reliquorum hominum animæ producuntur mediatè per traducem, quod probatum par. 1. Phil. Sobr. sect. 3. c. 6. q. 1. p. 902.* Idem igitur de anima Christi statuendum est. Major stabiliri potest (1.) ex assertione adversariorum, qui à modo productionis communi colligunt productionem animæ Christi. (2.) Quia contrarium & peculiare Christi privilegium demonstrari nequit. Temerarium verò est, miracula fingere, & exceptiones ponere, tacente Scripturâ. (3.) Quia Christus vocatur filius hominis, filius Mariæ, Non autem apparet, quò nomen istud

illud conveniat, si tantum corpus Christi ex Maria formatum, non autem anima simul propagata fuit. Quare videtur probabilius, quod uti ex sanguinibus Mariæ caro Christi producta; sic ab anima Mariæ, Christi anima simul traducta sit, vi & efficaciâ Spiritus S. qui vim multiplicandi & propagandi in sola Mariæ anima excitavit, quum aliàs traductio fiat per utrumque parentem in opere generationis conjunctum. Facta autem fuit illa propagatio in utero quidem Mariæ, tanquam in loco, sed unâ in λόγῳ, tanquam in persona suscipiente, quia Christi anima nunquam peculiarem creatamq; subsistentiam habuit, sed ut in instanti producta, sic statim in λόγῳ ἰπόσειν assumpta, adeoq; ab omni peccato purgata est. Quanquam autem Mariæ anima labe originis fuit contaminata, fecit tamen superventus Spiritus sancti, ut in sui multiplicatione transmitteret in corpus Christi, animam quidem specie & ἰσότητι eandem; sed statu & qualitate diversam, nempe sanctam & divinâ gratiâ plenam, quæ perfectio fuit non à Maria concipiente, sed unicè à Spiritu superveniente.

XXXV.

2. De formatione Corporis.

Scholastici ex Thoma, par. 3. qu. 33 art. 1. distinguunt inter *preparationem materiae, & formationem corporis*, quos sequitur Zanchius, l. 2. de Incar. c. 3 qu. 17. p. 146. ubi asserit, quod formatio quidem corporis in instanti, & sine mora facta fuerit, sed non item præparatio, quia sanguinem, ait, oportuit deduci ad locum conceptionis, ad quam rem opus fuit motu. Motus autem nullus fit in instanti, quæ verba ex Zanchio repetiit & exscripsit Polanus, lib. 6. Syst. Theol. c. 14. col. 2358. B. C. Verum successiva illa materiæ præparatio unde probabitur? Nam argumentum à ratione motus petitum planè infirmum est, quia movens non fuit physicum, sed hyperphysicum, nempe Spiritus S. qui motiones & actiones in instanti potest expedire, quia omnipotens. Quumq; conceptio ipsa subito & in instanti facta putetur communiter, nulla est necessitatis causa, ob quam successiva materiæ præparatio aut deductio sit asserenda. Statuimus ergo, simul ac semel & materiam in locum conceptionis deductam, & ex illa in instanti corpus Christi formatum esse,

Corpus Christi formatum est in instanti.

Statim omnibus membris perfectum, & animam rationali præditum, quum aliàs in communi & ordinaria generatione hominis membra formentur successivè & per additamenta. Negat quidem hoc Keckermannus, lib. 2. Syst. Theol. cap. 3 p. 324 ita scribens: *Formatio foetus in utero virginis suos habuit gradus ac processus, qualis in aliorum foetuum formatione esse solet, quiq; novem mensium spacio communiter absolvuntur. Oportebat enim Christum nobis in hoc etiam similem reddi, ut videlicet non in momento formaretur & nasceretur; sed novem mensium spacio in matrice, conveniente nature ordine, & gradibus, Spiritu Sancto operationem vivificam sic attemperante perficeretur.* Verùm aliud placet orthodoxis Patribus, quorum sententia vero videtur similior. Nam quòd in momento potuerit caro Christi formari, certum est, quia virtus agentis, id est, Spiritus Sancti fuit infinita, & ideò sine mora potuit perficere formationem corporis. Quòd autem fecerit, probabile fit exinde, (1.) quia λόγος nunquam fuit πρόσεισις alicui embryoni, sed tantum humanae & animatae carni. Verbum enim caro factum est, Johan. i. v. 14. id est, verus homo, non primùm embryo, deinde corpus inanimatum, ac postmodum homo; sed statim homo factus est ille λόγος; Unde sequitur, corpus Christi primo tempore secundum omnia membra fuisse perfectum, aliàs λόγος non hominem; sed primùm massam inanimatam in suam πρόσεισιν assumfisset, quod αθεόλογον. Nam illa membra, quæ dicuntur primùm producta ante animationem, vel λόγω unita fuerunt, vel non unita. Si hoc asseras, sequitur, propriam & creatam primùm habuisse πρόσεισιν: Ubi verò hæc mansit postmodum? An absorpta est, vel an duplex πρόσεισις in Christi corpore concedenda? Sin illud assumes, sequitur, λόγον non hominem, sed primùm embryonem ἀψυχον esse factum, ipsamq; unionem subinde crevisse, & pro accessione membrorum auctam esse; quod sanè non videtur probabile. Quis enim crederet, λόγον, qui fons est & origo omnium perfectionum, assumfisse primùm in unitatem suæ personæ, aliquid informe, & suam naturam imperfectam? (2.) Scholastici præterea & hoc argumentum proferunt: λόγος per animam suscepit corpus. Quare hoc oportuit fuisse animatum, ideoq; & perfectum, quum anima sit

sit ἐντελέχεια corporis non cuiusvis, sed organici, suisq; mem-
 bris præditi. (3.) Porro quidam ita colligunt: Qui est homo fa-
 ctus sine virili semine, solâ operatione Spiritus Sancti tanquam
 creatoris, ille statim atque existere cæpit, corpus uno momento
 perfectum & animatum habuit. Sed antecedens verum est, de fi-
 lio Mariæ. Ergo & consequens. Majorem probant tum per ex-
 empla Adami & Evæ, tum per virtutem creatoris, quæ omnipotens
 & infinita, nescitq; tarda molimina. (4.) *Basilius* in Orat. de hu-
 mana Christi generat. pag. 232. urget verba Angeli Matth. i. v. 20. &
 scribit: Non dictum est ab Angelo, τὸ κυνηθῆναι, ἀλλὰ τὸ γυνηθῆναι, quod
 conceptum, ut embryo; sed quod in eanatum est, de Spiritu Sancto est.
 Hinc deprehendere licet, quod non secundum communem modum carnis
 constitutio Domino fuerit; conceptum namq; illicò perfectum fuit, non per
 intervalla paulatim formatum. Eadem mens est *Damasceni*, cujus hæc
 verba lib. 3. cap. 2. Dei Filius per Spiritum Sanctum sibi ipsi carnem ani-
 mātā rationali præditam condidit: non ita, ut paulatim, tacitusq; incrementis
 figura corporis absolveretur; sed ut uno eodemq; momento perficeretur.
 Simul ergo ut caro extitit, simul quoq; caro verbi extitit; simul caro ani-
 mata rationis & intelligentiæ particeps. *Lombardus* l. 3. dist. 2. lit. G.
 Ex quo Deus hominem assumpsit, totum assumpsit. Hisce rationibus & te-
 stimoniis nonnulli ex Calvinianis etiam moti sunt, ut nostræ sub-
 scriberent sententiæ, quos inter *Zanchius*, l. 2. de Incarn. c. 3. qu. 7. 8.
Polanus l. 6. Syst. c. 14. col. 2361. & *Martinus*, l. 2. de Christo Incar.
 cap. 12. pag. 622.

XXXVI.

3. De conceptione totius humanitatis.

Facta ea est 1. *In instanti*, uti hæctenus ostensum, ideoque dixe-
 runt veteres rectè, conceptionem carnis Christi contigisse, non
 tantum δι' ἡµᾶς propter nos, nec tantum καθ' ἡµᾶς, secundum
 nos, in utero matris; sed etiam ἐπὲρ ἡµᾶς, supra nos, nempe ob
 immediatam Spiritus Sancti operationem, & instantaneam totius
 humanitatis productionem.

2. *Statim post annunciationem Angeli*, & μετὲ τῆς συγκατά-
 θεου, post assensum sanctæ Virginis, dicentis, Luc. i. v. 38. Fiat mihi se-
 cundum verbum tuum. Neque enim hîc opus fuit morâ, quum con-
 ceptio ista fuerit solius Dei opus sine auxilio viri. Ut igitur quum
 creavit

Conceptio
 ipsa facta
 est
 In instanti,

Post annun-
 ciationem
 Angeli,

creavit coelum & terram, tantum dixit, & statim factum est; Ita sine mora conceptio peracta fuit, simul ac virgo voluntati divinæ assensum præbuit, quoniam nihil præter consensum virginis requirebatur aliud, ut promissio illa per Angelum facta, de conceptione Messiae impleretur. Ita censet *Augustinus* serm. 17. de nativ. & *Theophylactus* l. 1. in c. 1. Lucæ. Præcipue verò *Damasceus* lib. 3. c. 2. ita scribens: *Post consensum sanctæ Virginis Spiritus S. super venit in eam, purgans eam, & vim susceptivam Deitatis verbi præbens, simul & generativam. Et tunc obumbravit super eam illa Dei altissimi subsistens virtus atq; sapientia, Filius Patri consubstantialis, tanquam divinum semen, & sibi ipsi construxit ex purissimis & mundissimis illius sanguinibus carnem animatam.* Similia habet *Gregorius M.* lib. 18. Moral. c. 20. cujus hæc verba citat *Lombardus* l. 3. sent. dist. 2. l. C. *Angelo nunciante, & Spiritu adveniente, mox verbum in utero, mox intra uterum verbum caro.*

Simulq; unita est anima cum corpore,

3. Ita facta est conceptio, ut simul subitòq; uniretur anima cum corpore. Quidam hoc negarunt, statuentes, animam & corpus seorsum à Filio Dei in unitatem personæ assumpta esse, ut evitarent *Nestorianismum*, quia ex naturali unione animæ & corporis in omnibus hominibus constituitur persona humana, referente *Thoma*, par. 3. quæst. 2. art. 5. & l. 4. contra Gentes, c. 34. Nos autem affirmare id non veremur, (1.) quia Christus verus homo non esset, si naturaliter unita inter se non fuissent corpus & anima. Homo enim non est, in quo anima non est unita corpori. Unde sequeretur porrò, Christum nobis per omnia non esse factum similem, ideoque nomen hominis de Christo & nobis univocè non prædicari. (2.) Quia Christi corpus fuit vivum. Quare etiam animam habuit conjunctam, quippe sine qua officia vitæ præstari nequeunt. (3.) Quia corpus Christi verè mortuum est; Mors autem definitur per separationem animæ à corpore, & per rupturam unionis naturalis. Ergo anima prius fuit corpori unita. Ratio verò in contrarium allata nihil probat. Nam quanquam aliàs anima & corpus unita, peculiarem constituunt personam; non tamen id dicendum de Christo, quia duo illa in ipsa *λόγος ὑπόστασις* sunt unita, adeoq; peculiaris personæ constitutio per assumptionem in *λόγον* fuit impedita: id quod non imperfectionis, sed potius summæ exaltationis est indicium.

4. Con-

4. Conceptio quidem omnium membrorum facta est in *Accretio* instanti, sed non accretio, quippe quæ fuit successiva, & crevit tamen *membra-* cōceptus puerulus in utero Mariæ de die in diem, per aliquot men- *rum non* ses, donec justum & deputatū nativitatis tempus adveniret: atq; sic *facta est in* Christus fuit perfectus homo, statim post annunciationem Angeli, *instanti.* perfectione *essentia*, & quoad membrorum omnium conceptio- *instanti.* nem: Sed non perfectione *accidentia*, quoad membrorum justam magnitudinem, quam successivè adeptus est, sicut etiam post nativitatem subinde crevit ut gratiâ & ætate; sic staturâ & quantitate.

XXXVII.

V. De fine conceptionis Christi.

Ut omnia nostri causâ; sic conceptio Christi propter nos & *Christi con-* nostram salutem facta est. Lex requirit perfectam obedientiam, *ceptio nostri* quæ consistit non tantum in actibus secundis, bonisq; operibus; *causâ facta* sed præcipuè in habitu justitiæ, & integritate naturæ, qualis olim *est.* Adamo concreata fuit. At verò hæc perfectio deest nobis; concipimur in peccatis, & naturam vitiosam trahimus ex parentibus. Ut igitur nostra impura conceptio tegeretur coram DEO, Christus sine peccato, sine concupiscentia conceptus est, adeoq; nostri loco satisfacit legi, quia nos sanctè & sine peccato concipi debuimus. Consistit quidem Christi satisfactio primò in agendo & patiendo, quorum illud *activam*, hoc *passivam* obedientiam nuncupamus in Scholis; non tamen ob id excludi planè debet sanctitas inhærens Christo, in qua est conceptus, quippe quæ non tantum est necessaria qualitas personæ Mediatoris, sed unâ pars illius perfectissimæ obedientiæ, quam lex à nobis requirit. Quare uti Christus propter nos conceptus, ita & propter nos sanctus, & sine peccato conceptus est, ut ita istius sanctitate immundities tum parentum coëuntium; tum liberorum conceptorum tegeretur. Hunc finem innuere videtur Apostolus *Heb. 10. v. 5. seqq.* quando memorat, Christum, quum ingrederetur mundum, id est, conciperetur, dixisse; *Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam, in qua etiam voluntate nos sanctificari* scribit, *v. 10.* Factum ergo est nostræ sanctificationis
E initium

initium per ingressum Christi in mundum, seu per sanctam ejus conceptionem, atque ita per paternæ voluntatis impletionem. Prolixè agit de hoc fine *Augustinus* Tom. 3. l. de fide ad Petrum, cap. 2.

XXXVIII.

Unde haurire possumus.

Vivam consolationem,

Haurire porrò possumus ex fine isto & consideratione sanctæ conceptionis Christi tum *vividam consolationem*, tum *seriam admonitionem*.

I. Consolatio est, quòd jam novimus, nostras sordes abluantur sanctitate Christi. Duæ sunt radices, sed contrariæ, & contrariorum effectrices, *Adamus & Christus*. *Adamus* primùm accepit in creatione justitiam, sed amisit per lapsum, & contaminavit naturam; *Christus* venit, ut secundus Adam, & amissam justitiam restituit. Ut igitur *ab Adamo* inficimur, sic per *Christum* reficimur: Uti per *illum* corrupta; sic per *hunc* reparata est natura. Propter *istum* concipimur in peccatis; propter *hunc* sine peccatis conceptum, tegitur nostra immundities. Christus est quasi *thesaurarius sanctitatis*, per quem illa in nos membra derivatur. Christus *sanctitatis* est *umbraculum*, quo obvelare possumus nostram corruptionem; est *clypeus & scutum*, quo propulsamus omnes Satanæ tentationes; est *vestis justitiæ*, quâ mundi apparemus coram Deo. Jacobus fratris Esavi vestibus induebatur, ut Patris sui benedictionem consequeretur, *Gen. 27. v. 20. seqq.* Ita nos vestem justitiæ, vestem fratris nostri JESU CHRISTI, sine peccatis concepti, vestem illam nive candidiorem apprehendamus; Tum Patris cœlestis benedictionem, & supernæ Canaan possessionem certò impetrabimus. *Bernardus* pulchrè: *Triplici morbo laborat genus humanum: Principium est Nativitas immunda; medium est vita perversa; finis est mors periculosa.* Huic triplici morbo datur in Christo triplex remedium: Immundam nativitatem purgavit *sanctâ conceptione*; vitam perversam corrigit suo *verbo, exemplo, adjutorio*; mortem periculosam vertit in lucrum *suâ resurrectione*. Ergo nativitati nostræ immundæ opponamus nativitatem Christi sanctam; vitæ nostræ perversæ vitam Christi innoxiam; morti nostræ periculosæ, mortem Christi *victricem & meritoriam*.

II. Ad-

II. Admonitio est, ut studeamus sanctitati omnibus *Et seriā*
 diebus vitæ nostræ. Moveat nos (1.) *Exemplum Christi.* Ut enim hic *admonitio-*
 sanctificatus est in utero matris suæ; Ita nos similiter operam de- *nens.*
 mus, ut subinde sanctificemur. Nam, teste Johanne 1. Epist. 3. v. 3.
Quisquis habet spem in Christo sitam, purificat se, sicut & ille purus est.
 (2.) *Mandatum Dei.* Lev. 19. v. 25. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.*
 (3.) *Nostri vocatio.* Ideò enim nos vocavit Deus, ut in omni con-
 versatione simus sancti, 1. Pet. 1. v. 15. Non vocati sumus in immundi-
 tiam; sed in sanctificationem; 1. Thes. 4. v. 7. Membra debemus esse
 sancta sub sancto capite Christo. Ut hic sine sanctimonia Salvator
 idoneus non fuisset; Ita neq; nos idonea ipsius membra esse pos-
 sumus, nisi à peccatis purificati simus. Christi ergo exemplum sit
 nostrum exemplar, quod semper intueamur. Mendicus vestem
 laceram subinde consuit, & aliquas abscindit commissuras, melio-
 res in earum locum reponens: Nos mendici & egeni sumus; Im-
 perfecta & quasi lacerata est vestis nostræ sanctimonix; Confua-
 mus igitur quotidie, deponendo reliquias veteris Adami, & assu-
 mendo primitias novi hominis. Ut Christus conceptus est in
 utero Mariæ corporaliter, Ita concipi debet in nostris cordibus
 spiritualiter; ubi per fidem & obedientiam quasi de novo forma-
 tur, Gal. 4. v. 19. Beata fuit mater Christi, non tam quia corpore,
 quàm quia corde illum concepit. Nos imitemur, fideiliq; corde
 eum suscipiamus, tum similiter beati erimus. *Qui facit voluntatem*
Patris mei, hic meus est frater, & soror, & mater, ait Christus ipse Matth.
 12. v. 59. Nos ergo faciamus; Ita de novo concipietur Christus; Ita
 erimus hîc vasa gratiæ, olim gloriæ, ubi consummabitur, quod hîc
 inchoatur, ubi reddemur viri perfecti, juxta mensuram plenitudi-
 nis Christi, Eph. 4. v. 13.

XXXIX.

MEMBRUM II.

DE CONCEPTÆ CARNIS ASSUMPTIONE

in ὑπόστασιν τῆς λόγῃ.

Hic alter actus est, unionem antecedens, & distinctus non tem- *Circa car-*
 pore, sed tantum ordine; circa quem quinque sunt ponderanda: *nis assum-*
 1. Quod facta sit assumptio. 2. Quis assumens. 3. Quid assumptum. 4. In *tionē quinque*
 quid assumptum fuerit. 5. Quomodo facta sit assumptio. *notari de-*

E 2

XL. Pro-bent,

1. Quod facta sit assumptio,

Id quod probatur ex Heb. 2. v. 14.

Ubi Christus dicitur particeps esse factus carnis & sanguinis;

Probationis loco, quod caro humana verè sit à Filio DEI assumpta, adducimus præcipuè dictum istud classicum, Heb. 2. v. 14. & 16. in quo proponuntur duo prædicata de Filio DEI, vel Jesu, quoad divinam naturam considerato. Hoc enim esse subjectum illarum prædicationum patet ex toto contextu, & cum primis ex v. 9.

XLI.

Primum prædicatum extat v. 14. *Particeps factus est carnis & sanguinis, ut pueri.* Caro & sanguis dupliciter sumuntur in Scripturis 1. *Substantialiter & absolutè*, pro natura humana per se, ut Matth. 16. v. 17. *Caro & sanguis non revelavit tibi.* & Gal. 1. v. 16. *Non contuli cum carne & sanguine.* 2. *accidentaliter & limitatè*, pro natura humana, in quantum corrupta, & hinc multis infirmitatibus subiecta est, ut Joh. 3. v. 6. *Quicquid ex carne est, caro est.* 1. Cor. 15. v. 50. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Hoc posteriori sensu verba illa non accipit hinc Apostolus, quia DEI Filius fuit sanctus, ideoq; carnis peccatricis non est factus particeps, unde sequitur, *primò notari humanam naturam*, sic tamen, ut connotentur infirmitates, sed absq; peccato. Illustrat hoc Apostolus comparatione: *Ut pueri κεκοινωνήκε, communionem habent carnis & sanguinis, sic ipse ὁμογενής ἡσπίως μετέχευε, similiter particeps factus est eorum.* Pueri verò communionem habent carnis & sanguinis, quia naturam humanam specie habent eandem. Et sicuti per carnem & sanguinem puerorum non solum corpus, sed unà anima; nec nudum φάσμα, sed vera humanitas intelligitur; sic Filius DEI similiter, hoc est, integrè & verè, humanitatis factus est particeps, nimirum assumendo eam in unitatem suæ personæ, ex quo apparet; aliam præter carnem & sanguinem in Christo naturam esse. Qui enim participare dicitur, prius exstare significatur, nec tantum ex eo, quo participat constare, sed ad id, quod jam est, vel habet, aliquid amplius adjicere.

XLII.

Es semen Abrahamæ assumpsit. Quatuor hinc consideranda (1.) *Assumens*, qui est DEI Filius, λόγος ille æternus, de quo Joh. 1. v. 14. eodem sensu

sensu dicitur, quòd sit caro factus. Quanquam enim in hoc toto capi-
 te subjectum omnium prædicatorum videatur esse Christus, attamen hîc persona non σύνθετος, sed simplex necessariò debet intel-
 ligi, quia non Christus assumpsit hominem, sed λόγος, qui unà
 cum assumpta humanitate constituit unum ὑφιστάμενον, quod est
 & vocatur Salvator mundi. Nec infrequens est, in subjecto ponere
 Christum, & tamen post talia afferre prædicata, quæ conveniunt
 λόγω simplici, ut Joh. 8. v. 58. *Antequam Abraham esset, ego sum*, ubi
 Christus de se loquitur, & tamen λόγος simplex vel ἀσύνθετος
 persona intelligitur. (2.) *Assumptum, quòd nominatur semen Abrahamæ.*
 Vox feminis sumitur vel collectivè pro tota posteritate, ut Joh. 8. v. 37.
Scio, quòd semen Abrahamæ sitis, & Rom. 9. v. 7. *Neq; quia semen Abrahamæ*
sunt, ideò omnes sunt filii; vel singulariter, pro uno certoq; individuo,
 ut Gen. 4. v. 25. *Deus posuit mihi aliud semen pro Abel*, id est, alium fili-
 um; & Gen. 22. v. 18. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, quod
 Apostolus non collectivè de pluribus; sed singulariter de uno
 Christo exponit, Gal. 3. v. 16. qui etiam semen mulieris vocatur sin-
 gulariter Gen. 3. v. 15. Ita semen appellatur Ismaël, Gen. 21. v. 13. & fi-
 lius promissus Abrahamo, Gen. 15. v. 3. & filius Davidis, 1. Sam. 7.
 v. 12. 1. Par. 17. v. 13. Hoc posteriori sensu accipitur præsentis loco, quia
 sic explicatur v. 14. quòd à nimirum Filius Dei factus sit particeps
 carnis & sanguinis, adeoq; agitur de Incarnatione λόγος, qui sanè
 non omnes homines, aut totam Abrahamæ posteritatem; sed natu-
 ram individuum ex Maria Abrahamæ filia assumpsit. Quod igitur per
 carnem & sanguinem, v. 14. id per semen Abrahamæ notatur v. 16.
 (3.) *Verbum assumendi.* In græco est præsens Πιλαβάειν, pro præ-
 terito ἐπιλάβειν, per Enallagen Hebræis familiarem. Ut enim su-
 præ v. 14. ita hîc sensus præteriti obtinet. Utq; supra in præterito di-
 cit de pueris, qui nascuntur, κεινοινώνηκε, pro κοινοινεῖ, ponendo
 præteritum pro præsentis: Ita hîc contrà utitur præsentis pro præte-
 rito, non sine venustate aliqua, ut res non acta perscribi, sed adhuc
 geri videatur. Antiquus interpres, & multi patres reddiderunt,
apprehendit, velut extensâ manu, sicuti capitur, Matth. 14.
 vers. 31. ubi Christus Petrum super aquis ambulantem dicitur
 Πιλαβάειν apprehendisse. Ex illa versione resultat quæ-
 dam

Nam Patrum meditatio, quam ita exponit Ambrosius, in c. 2. ad Hebr. *Nos quasi recedentes ab eo, & longè fugientes insecutus apprehendit, & in unam personam nostræ fragilitatis naturam sibi contemperavit.* Sed rectius vertitur per *Assumit, vel assumfit*, quia hæc nativa est verbi istius significatio, & ita melius explicatur modus, quo Dei Filius particeps factus est carnis, nimirum assumendo eam in unitatem personæ. Sunt igitur in Christo duæ naturæ, altera *assumens*, secundum quam præextitit; altera *assumta*, quæ est caro & sanguis ex Abrahamæ familia: & hæc duo sic conjunguntur in una persona, ut sit unus Christus, existens utrinq; verus Deus & verus homo. (4.) ἀντίθεσις. Non utiq; Angelos, sed semen Abrahamæ assumfit: quâ antithesi eximium naturæ nostræ privilegium inuitur, quòd eam Filius Dei in seipso supra Angelicam naturam evexerit. Nam Angelos sæpè quidem adhibuit ad ministeria, sed minimè in unitatem personæ assumfit; verùm honorem hunc & dignitatem humane naturæ Dei Filius contribuit, ut Deus & homo una persona esset, dicente Ambrosio super hunc locum.

XLIII.

2. *Assumens, qui Dei filius.* Ex dictis verò colligere est facile, *quis assumserit?* Nimirum non Pater aut Spiritus S. sed solus Filius, qui etiam solus incarnatus est, uti *Membro III* fufius docebitur. Scholastici, ut videre est ex *Lombardi* l. 3. Sent. dist. 5. prolixè hîc disserunt: *An persona personam, vel natura naturam, vel natura personam, vel persona naturam assumserit?* Sed expedita est responsio, quòd primò persona, non natura assumserit humanam naturam, persona nempe Trinitatis secunda, filius Dei, splendor & imago æterni Patris; neq; tamen sine natura, sed persona cum natura, quippe quæ à persona non est realiter distincta, unde & ipsa natura divina quodammodo assumfit naturam hominis, mediante vid. personâ, cujus est natura. Ex quo apparet discrimen inter *assumptionem*, & *unionem* ἕνωσιν. Nam assumptio, activè sumta, est personæ, sed unio est utriusq; naturæ, siquidem personam assumfisse, & naturas invicem unitas esse dicimus. Deinde unio est reciproca, quia λόγον carni, & contrà carnem λόγω unitam asserimus: Sed assumptio non est reciproca, quia λόγος tantùm assumens & caro tantùm assumta est. Quæ observa-

servatio facit ad fortiorem ἔλεγχον Calvinianorum, qui recipro-
cam idiomatum communicationem ex nostris hypothefibus vo-
lunt colligere, nimirum tam idiomata carnis τῷ λόγῳ, quàm τῆ
λόγῳ idiomata carni facta esse communia. Verùm nulla hïc est
sequela, quoniam inter λόγον & carnem, quæ quidem in unione
conveniunt, ea tamen manet differentia, quòd λόγῳ tantùm af-
sumens, & caro tantùm assumpta est, unde fit, ut λόγῳ quidem
carni sua idiomata, non autem versâ vice, caro τῷ λόγῳ sua com-
municet, juxta regulam Leonis Magni; *Assumpti, non assumptis pro-
vectio est.*

XLIV.

Gregorius de Valentia Tom. 4. disp. 1. q. 3. pun. 2. & seqq. mul-
tas movet ex Thoma quæstiones otiosas; I. *An* quælibet alia per-
sona divina, etiam sola, potuerit assumere naturam humanam? *De quo*
II. *An* plures etiam personæ divinæ simul potuerint assumere ean- *multas otio-*
dem numero naturam humanam? III. *An* è contrario una & ea- *sas quæ-*
dem persona divina potuerit assumere plures numero naturas hu- *stiones mo-*
manas? Et *num* in illo casu persona talis esset dicenda unus homo, *vent Scho-*
an plures homines? Et, *Utrum*, quod in eo casu personæ divinæ con- *lastici,*
veniret ratione unius naturæ assumptæ, tribueretur eidem etiam, ut
sustentanti naturam alteram? *Exempli causâ*; Vocetur in eo casu
persona, divina secundum unam naturam Petrus; secundum alte-
ram verò Johannes; quæritur; *An* si Petrus moreretur, posset etiam
dici, mori Johannes; sicut jam, quod de Christo secundum naturā
humanam dicimus, dicimus etiam de Deo. IV. *An* etiam ipsa per se
essentia divina, ut cōmunis omnibus personis divinis, potuerit af-
sumere naturam humanam, vel quamvis aliam? V. *An* etiam perso-
na creata possit assumere alienam naturam, præcipuè per potenti-
am Dei absolutam? Et *num* concedendum sit, posse per potentiam
absolutam Dei, personam aliquam creatam possibilem terminare
infinitas naturas, si infinitæ essent? *Verùm* nos à talibus Scholasti- *à quibus*
cis quæstionibus meritò abstinemus, neq; dignas judicamus, qui- *meritò ab-*
bus discutiendis vel unica boni temporis horula impendatur. Nam *stinendum.*
1. quoad *originem* non sunt petitiæ ex Scripturis, sed ex rationis hu-
manæ lacunis, quæ problemata talia in infinitum potest formare.

2. quoad

2. quoad verba & terminos sunt planè obscuræ, & vel ipso sono terrificæ ac absurdæ. 3. quoad rem, & per se sunt (1.) otiosa & vana, quæ produnt ingenium hominis, otio abundantis, qui non necessaria tractat, & interim necessaria negligit. (2.) Curiosa, quia quærunt non de facto, sed de posse; & omnes divitias divinæ potentia scrutantur, & exhaurire præsumunt. (3.) Infructuosa, tum quia ex Scripturis certò decidi nequeunt, sed tantùm probabiliter in utramque partem more Scholastico de iis differitur; tum, quia si decidantur maximè, nihil tamen inde commodi ad nos redundat, vel quo ad fidem, vel quo ad pietatem. Proinde meritò referuntur in numerum earum quæstionum, quas Apostolus vocat *μωρηδὲς καὶ ἀπαιδοὶ τρεῖς* stultas & imperitas, ideoq; vitandas esse præcipit, *ὅτι ἰσχυρὰ μάχας*, 2. Tim. 2. v. 23. Tit. 3. v. 19. Nos autem consideratione talium ineptiarum Scholasticarum incendamur. (1) ad devotam gratiarum actionem, quam canamus Deo nostro, qui ex tenebris istis Cimmeriis & quisquiliis Papisticis nos clementer liberavit, ut jam discantur & doceantur tantùm ea, quæ ex verbo Dei petuntur, & ad ædificationem faciunt. (2.) ad seriam orationem, ut Deum invocemus quotidie, quò depositum puræ fidei conservare, & ad posteritatem usque sine omni additamento talium nugarum propagare velit. (3.) ad sedulam circumspeditionem, quæ requiritur tum à docentibus; ne denuò spinosas hujusmodi quæstiones moveant, & antiquas scholæ sordes reducant; tum à discentibus, ut maneant in simplicitate fidei, & abstineant à petulantia humanæ rationis, quæ litem ex lite, quæstionem ex quæstione movet, præsertim hoc ultimo tempore, ubi multis sordet antiqua simplicitas, & censent, se non posse emergere, nisi terminos & concertationes Scholasticas in Theologiæ adyta introducant: id quod nihil aliud, quàm stratagema quoddam & tentatio Satanæ est, cui nisi resistamus maturè, denuò amittetur fides pura, & revocabitur antiqua barbaries Scholastica, ut mundus omnis sit admiraturus, se tam subito iterum factum esse barbarum & Papisticum.

XLV.

3. Assumptum, quod est humana natura.

Porro autem Scriptura τὸ *assumptum* nominat carnem in genere, Joh. 1. v. 14. Semen Abrahæ in specie, Heb. 2. v. 16. Patres communiter

munitur vocant *humanitatem vel humanam naturam*, quæ fuit 1. ἀτομῶν vel individua. 2. ἀνυπόστατος, vel propriâ personalitate de-
stituta, de qua utrâq; affectione hîc aliquid dicendum.

XLVI.

Natura humana, docente *Damasceno*, l. 3. cap. 11. consideratur ἀτομῶν.
tripliciter; (1.) ψιλῆ θεωρία, nudâ cogitatione, quando secundum
simplicem rationem, ab omnibus individuis abstracta ponderatur
in animo, atque sic nihil aliud est, quàm universale in mente, vel
post multa. (2.) ἐν τῷ εἶδει vel in specie, quando eam in ipsis indi-
viduis pariter existentem contemplantur, id quod Philosophi di-
cunt *universale extra mentem, vel in multis*. (3.) ἐν τῷ ἀτόμῳ, vel in in-
dividuo, quando eam, ut in uno individuo existentem, & per con-
ditiones individuantes restrictam consideramus, velut in Petro,
Paulo, Johanne. Hasce tres significationes breviter ita efferre
possumus: Natura humana notat vel ideam ἀνθρωπότητος in
mente conceptam; vel totam speciem humanam; vel unum sin-
gularem hominem. Jam verò quid per naturam humanam de-
notetur, quando λόγος eam assumpsisse dicitur, explicatu non est
difficile. Nec enim assumpsit nudam mentis ideam; ἔστι δὲ σαρκώσις
τῆς τοῦ ἀλλ' ἀπάτη, καὶ τὸ λάσμα σαρκώσεως, quia hoc non incarnatio
esset, sed deceptio & figmentum Incarnationis, ut *Damascenus* loquitur:
neque assumpsit naturam in specie consideratam, quia non omnes
personas hominum sibi univit; unde sequitur, λόγον assumpsisse
humanam naturam ἐν τῷ ἀτόμῳ vel in individuo, quæ cum nostra
natura convenit per omnia quoad speciem, numero autem differt
ab omnibus aliis hominibus. *Bonaventura* l. 3. sent. dist. 2 art. 1.
qu. 3. ostendit, congruum magis fuisse, τὸν λόγον assumere natu-
ram singularem, quàm universalem & totam speciem, 1. ratione
unionis, ut unum uniretur uni, & unigenitum Patris fieret unigeni-
tum matris, & sic per unionem naturæ nec fieret recessus ab uni-
tate, nec confusio in personali proprietate. 2. Ratione reparationis
nostre, quia unio fiebat propter Mediatorem: Mediator autem
unus est, ut reducat ad unitatem & concordiam Deum & homi-
nem. Si ergo plures essent, aut unus sufficeret, aut non. Si suffi-
ceret, tunc alii superfluerent: Si non sufficeret, jam imperfectus
F Media-

Mediator esset. 3. Ratione exaltationis nature assumptæ, quia decebat illum hominem, qui Deus erat, sic exaltari, ut daretur ei nomē, quod est super omne nomen, id quod uni soli convenit.

Ceterum, quando omnem naturam humanam assumpsisse λόγος dicitur, intelligendum id est κατὰ συγγένειαν, juxta cognationem & participationem unius ejusdemq; carnis & sanguinis, cujus ipse similiter factus est particeps, unde & cum Christo dicimur resuscitati, & sedere inter cœlestes, Eph. 2. v. 6. quod dictum ita explicat Damascenus lib. 3. cap. 6. Dicimus naturam nostram surrexisse à mortuis, assumptam esse, & sedere ad dexteram Patris, non quòd omnes hominum hypostases surrexerint, ἀλλὰ καὶ ὁ πᾶσα ἡ φύσις ἡμῶν ἐν τῇ τῆ χειρὶ ὑποστάσει; sed in quantum omnis nostra natura est in Christi persona. Hinc Chrysof. ferm. de Ascens. T. 3. Quæ natura est, cui Deus dixit, Esto meæ particeps sedis; illa natura est, quæ audivit, Terra es, & in terram ibis.

XLVII.

καὶ ἀνυπόστατον.

Suscepit autem Filius Dei humanitatem quidem ἄτομον vel singularem; non tamen ἰδιοσύστατον, vel propriam personalitate præditam, sed potius ἀνυπόστατον, quam assumendo effecit ὑπόστασιν καὶ ἐνυπόστατον, ita ut jam una ac eadem sit λόγος & carnis persona, & propterea unus, non duo Christi, Rom. 5. v. 15. unus, non duo Filii, Matth. 16. v. 16. unus non duo Domini, 1. Cor. 8. v. 6. unus, non duo Mediatores, 1. Tim. 2. v. 5. Christus enim unus est vel naturā, vel personā. Atqui non naturā, quum sit Deus & homo. Quare personā, & per consequens utriusq; naturæ una est ὑπόστασις; Unde porro apparet, carnem propriam personalitate destitui, quum aliàs non una; sed gemina futura sit in uno Christo ὑπόστασις.

XLVIII.

4. In quid caro sit assumpta, nempe in ὑπόστασιν τῆς λόγος.

Assumpta verò ulterius est natura nostra εἰς ταυτότητα ὑπόστασεως τῆς λόγος, in unitatem personæ Filii Dei. Est autem persona nature rationalis individua, incommunicabilis, perfectaq; substantia, quæ non in alio sustentatur, sed per se subsistit, ad aliud etiam dependentiam non habet, describente ita Boëtio, lib. de duabus naturis, c. 1. 2. Persona igitur (1.) Substantia est, quia de accidentibus non prædicatur. (2.) Individua est, quia universalibus non competit. (3.) Incommunicabilis est, quia cum aliis personis ejusdem naturæ nunquam com-

communicatur. (4.) *Rationalis natura est*, quia bruta dicuntur quidem supposita, sed non personæ. (5.) *Perfecta substantia est*, quæ nempe constat omnibus partibus essentialibus, ad speciem illam necessariis. (6.) *Non sustentatur in alio, sed per se subsistit*, quâ particula à nomine personæ excluditur humana Christi natura, quæ quidem est rationalis naturæ, individua, & perfecta substantia; sed quia per se non subsistit, hinc persona appellari nequit. (7.) *Nec dependentiam ad aliud habet*, id quod additum propter animam rationalem, à corpore separatam, quæ per se quidem subsistit; sed quia dependentiam habet ad corpus, pro persona propriè dicta non habetur. Porro hîc notandum, quòd discrimen aliquod sic inter *ὑπόστασις* & *ὑφιστάμενον*, quæ vocabula uno *Persona* nomine apud Latinos efferuntur. Per *illam* enim notatur subsistentia, vel personalitas; per *hoc* ipsum subsistens, & personalitatem habens. Quando igitur caro dicitur assumpta in personam *τῆς λόγῃς*, formaliter notatur *ὑπόστασις*, materialiter ipsum *ὑφιστάμενον*, adeoq; significatur non tam subsistens, quàm ipsa *λόγῃς* subsistentia, cujus caro facta est particeps, ut non per seipsam, sed per illam infinitam *τῆς λόγῃς ὑπόστασις* subsistat. *Assumens* ergo est ipsum *ὑφιστάμενον*, vel Filius Dei, qui secunda persona Trinitatis: *Assumptum* est humana Christi natura; *Terminus*, in quem illa assumpta, propriè est infinita & increata *τῆς λόγῃς* subsistentia.

XLIX.

Tandem quod concernit *ipsum assumptionis modum*, quæritur, *§. Modus assumptionis, ubi quæritur, An corpus mediante animâ sit assumptum?* Certum verò est, quòd in Incarnationis momento simul facta sit, 1. Spiritus S. adventus singularis. 2. massæ ad locum generationis deductio, 3. Ejusdem sanctificatio. 4. corporis ex ea formatio. 5. productio animæ, 6. corporis animatio, & 7. utriusque partis in *ὑπόστασις* obumbrantis *λόγῃς* assumptio. Quare hîc non de tempore, an prius sit assumpta anima, post corpus; sed tantùm *de ordine assumptionis* quæritur. *Scholastici* autem pleriq; affirmativam tenent, uti videre est ex *Lombardo* l. 3. dist. 2. B. *Thoma* par. 3. qu. 6. art. 1. & 5. *Bonaventurâ* in l. 3. dist. 2. art. 3. qu. 1. & aliis, quorum hæc sententia, *λόγον* esse unitum carni, mediante intellectu. *Tante enim*, ait *Lombardus*

l. d. subtilitatis, atq; simplicitatis est divina essentia, ut corpori de limo terre formato uniri non congruerit, nisi mediante rationali essentia; ideoq; medium hoc appellant medium congruentiae, non colligantiae. Opinio verò hæc videtur hausta ex quibusdam dictis Patrum. Ita enim scribit Augustinus in epist. 3. ad Voluf: Ipsa magnitudo divinae virtutis animam sibi rationalem, & per eandem corpus humanum, totumq; omnino hominem in melius mutandum cooptavit. Et in l. de Agone Christi c. 18. Invisibilis & incommunicabilis veritas (Christus) per spiritum animam, & per animam corpus accepit. Idem prolixius docet Damascen. l. 3. cap. 6. ἡνωται τοῖνυν σαρκὶ Δεῦ μέσθ' ἡ οὐ λόγος τῆς θεῶ, μεσσιτεύοντ' (τῆς θεῶ) θεῶ καὶ σαρκὶ καὶ σαρκὸς παχῆτητι; Unitus est carni per mediam mentem λόγος Dei; per mentem, inquam, mediantem vel interjectam, inter Dei puritatem, & carnis crassitiam. Addit verò hanc explicationem & rationem: Principatum enim animæ & carnis mens tenet: mens autem purissima animæ pars; mens verò Deus. Ex quo apparet, Damascenum tria ponere in homine, (1.) mentem, partem animæ superiorem, quæ & ἡγεμονικὸν vocatur. (2.) animam, quæ est pars inferior, ubi appetitus sensitivus, & vis vegetatrix. (3.) carnem, per quam corpus intelligit. Crassior autem hominis pars est caro, minus crassa est anima; purior, eoq; similior Deo est mens, ubi intellectus & voluntas. Statuit ergo, carnem in Christo immediatè jungi animæ, animam menti; mentem Deo; ac proinde per mentem Deo uniri animam, & per animam corpus. Sequitur horum vestigia Zanchius l. 2. de Incarnat. cap. 3. quæst. 7. pag. 147. Perkinsius in expl. symb. col. 599. Polanus l. 6. Synt. c. 15. col. 2415. D. & Martinus, l. 2. de Persona Christi par. 1. tract. 2. c. 11. pag. 579.

L.

Quanquam verò & hæc quæstio tutò queat seponi, utpote maximam partem Scholastica; & quæ in utramq; partem sine periculo fidei & salutis disputari potest; attamen quia passim reperitur in libris authorum, nostram de illa mentē breviter aperiemus.

Nos negativam tenemus.

Thesis hæc esto: In assumptione corporis & animæ nullus fuit ordo, sed ista simul & semel, sine distinctione temporis & ordinis in ἑνωσιν τῆς λόγος assumpta sunt. Quam ipsam thesin sequentibus rationibus stabilitam damus.

I. A Scri-

I. *A Scripturae silentio.* Nusquam talis ordinis fit mentio; sed in genere assumptio sine distinctione ordinis describitur, quando asseritur, quod verbum sit factum caro, *Johan. 1. v. 14.* & assumerit semen Abrahamæ, *Hebr. 2. v. 16.* Tacente autem Scripturâ, & nos tacere, nec temerè aliquid affirmare, multò minus de incertis litigare debemus.

Propter silentium
Scripturae.

II. *Ab absurda hypothesisi.* Præsupponitur enim à quibusdam, quod homo constet tribus partibus, mente vel Spiritu, animâ & corpore; quum tamen alibi probetur, duas tantum esse hominis partes essentielles, nempe corpus visibile, & animam invisibilem, quæ diversas quidem habet facultates, intelligentem, sentientem, vegetantem; sed inde tot peculiare, & numero distinctæ partes non sunt constituendæ, quum plura non sint principia interna substantiam corpoream componentia, quàm materia & forma, numero una. Quando autem *1. Thess. 5. v. 23.* fit mentio distincta, *Spiritus anime, corporis;* non tres hominis partes essentielles innuuntur; sed per *Spiritum* intelligitur novitas restitutæ imaginis Dei, vel superioris animæ facultas, intellectus; per *ψυχὴν* verò aut ipsa anima, aut facultas animæ sensitiva, à qua dicuntur corpora *ψυχικά* vel animalia, infirmitatibus hujus vitæ circumseptâ, *1. Cor. 15. v. 45.*

Propter absurdam hypothesisi,
quæ præsupponitur.

III. *A defectu firmarum rationum.* Quicquid enim profertur à Scholasticis, id mera est speculatio rationis, quæ putat, incongruum esse, ut Deus fragile corpus assumat immediatè. Quis verò infirmitatem hujus argumenti non intelligit? Videatur sanè rationi mysterium hoc incongruum, Deus tamen illud reddidit convenientissimum, cuius eò magis innotescit bonitas & humilitas, quod cum corpore terreno ἀμέσως uniri voluit. Pulchrè Chrysologus serm. 148. *Cesset hic inanis Philosophiæ labor; nasci Christum non fuit necessitas, sed potestas; fuit honor, injuria non fuit, Sacramentum pietatis fuit, Deitatis non fuit detrimentum: fuit reparatio salutis humanæ; imminutio substantiæ non fuit divina.* Et post pauca: *Quod Creator in creatura sua; quod Deus invenitur in carne, creaturæ honor est, non est Creatoris injuria.* Deinde fatemur, quod non nisi corpus animatum λόγῳ assumserit; hinc tamen non sequitur, quod mediante animâ. Nam assumpsit animam quoque non extra corpus, sed in corpore,

Ob defectum
firmarum
rationum.

corpore, vel unitum corpori. Ergone propterea mediante corpore? Et sanè fortius hoc posset inferri tali Syllogismo: *Qualis est modus in productione, talis in assumptione: Sed corpus tanquam subjectum & receptaculum animæ, ordine naturæ prius est productum. Ergo & prius assumtum.* Ita videmus, quòd disputatio non inveniatur exitum, si rationem consulimus in divinis.

Ob absurdum quoddam.

IV. *Ab inconvenienti.* Si incongruum est, corpus ἀμέσως assumi, & non nisi animâ mediante, tanquam Deo viciniore, illud unitum est λόγῳ, certè sequi videtur, quòd arctior sit unio inter λόγον & animam, quàm inter λόγον & carnem. Quod enim immediatè assumitur, hoc propinquius fit assumto, & arctius copulatur. Consequens verò est absurdum, quum idem modus idemq; gradus sit unionis personalis. Nec enim λόγῳ huic parti hominis est propior, quàm alteri; nec magis unitus cum hac, quàm cum illa, sed totus toti, & totus cuilibet totius parti, eodem modo & gradu unitus.

Ob potètiæ divinæ coarctationē, quæ sequitur ex opinione Scholastica. Et propter unionis naturalis solutionem.

V. *A potètiæ divinæ coarctatione.* Ita enim disputant de hac quæstione Scholastici, quasi Deus non potuerit corpus immediatè assumere, nisi prius interveniente & mediante animâ. Quis verò non videt, ita limites poni potètiæ divinæ, quasi extrema distantia non posset immediatè copulare?

VI. *Ab unionis naturalis solutione.* Si anima est medium unionis inter λόγον & carnem; sequeretur, animâ separatâ, solvi unionem, quia cessat illud medium unionis. At verò hoc non factum est, quia tempore mortis, licèt anima fuerit separata à corpore naturaliter, non tamen fuit corpus à λόγῳ separatum personaliter. Quare si tempore mortis corpus immediatè potuit unitum esse λόγῳ, non interveniente animâ, cur non & ita primùm potuisset assumi?

LI.

MEMBRUM III.

DE ΛΟΓΟΥ ΙΝΚΑΡΝΑΤΙΟΝΕ.

Circa Incarnationē quinque notari debent

Quinque hinc explicanda veniunt: (1.) *Vocabula.* (2.) *Quòd facta sit Incarnatio.* (3.) *Quanam persona fuerit incarnata?* (4.) *Quo*

Quo tempore facta sit incarnatio? (5.) Et quae sit vera ejusdem definitio, de quibus ordine dicetur.

LII.

I. De Vocabulis.

Termini, quibus in rebus sacris describendis utimur, vel sunt **1. Vocabula**, ἑγγραφοί, seu Biblici; vel ἄγγραφοί seu Ecclesiastici, qualis etiam est vox *Incarnationis*. Semper enim liberum fuit Ecclesiae, rem sacris literis expressam, certis terminis notare, qui & illam significanter exprimant, & haereticorum æquivocationes eludant, uti vox *Trinitatis*, *Sacramenti*, *Pædobaptismi*, *liberi Arbitrii*, & similes docent. Desumptum verò est vocabulum ἐνσαρκώσεως ex *Joh. 1. v. 14.* ubi Apostolus ait: ὁ λόγος σαρκὸς ἐγένετο, *Verbum caro factum est*, nim. non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, uti loquitur *Athanasius*. Incarnari ergo nihil est aliud, quàm carnem fieri, & incarnatio notat actum illum mirabiliter singulari, & singulariter mirabilem, quo λόγος vel æternus Dei Filius, in plenitudine temporis, nostram naturam in suæ ὑποστάσεως unitatem suscepit, sibiq; intimè univit. Tria ergo vocabulum hoc insinuat: (1.) λόγον, qui incarnatus. (2.) carnem, quæ assumitur. (3.) Utriusq; concursum personalem. Quòd autem ab unione differat, patet inde, quia hæc est reciproca, & ad utramq; naturam pertinet, siquidem λόγος carni, & caro λόγῳ est unita: sed incarnatio propria est Verbi, quippe de quo solo prædicari potest. Nec enim humanitas vel caro ipsa; sed tantùm persona filii dicitur incarnata. Porro *carnis* vocabulum hîc pro integra natura humana sumitur, unde *Athanas.* orat. de Deipara paulò post medium inquit: Ex eo, quòd dicimus incarnationem, & humanitatem simul assumptam, & carnem credimus, & animam rationalem, & mente præditam significamus. Eò verò lubentius hoc vocabulo usa est antiquitas, quòd clarius divinam bonitatem manifestat. Innuit enim, λόγον nostri causâ se ad eò demisisse, ut naturam non Angelicam, sed carneam, vel ex carne constitutam, hoc est, fragilem, infirmamq; assumeret.

Synonyma in Scripturis sunt descensus, *Esa. 64. v. 1. Johan. 3. v. 13. c. 6. v. 33.* manifestatio in carne, *1. Tim. 3. v. 16. κοινωγία* carnis & san-

sanguinis, Heb. 2. v. 14. assumptio seminis Abrahamæ, v. 16. si terminus ille capiatur activè, non passivè. Synonyma Ecclesiastica passim reperiuntur in scriptis Patrum. Ignatius ad Antiochenos vocat ἐνσωμάτωσιν, inhumanationem, quo vocabulo utitur quoque Damascenus, lib. 1. cap. 13. καὶ ἐνσωμάτωσιν & incorporationem: respiciens procul dubio ad Col. 2. v. 3. ubi tota plenitudo divinitatis dicitur in Christo habitare σωματικῶς. Græci plerumque usurpant vocabulum οἰκονομίας vel dispensationis, & dicunt fidei Christianæ duo esse generalia capita; Θεολογίαν & οἰκονομίαν; Illud est de Deo triuno; hoc de Christo biuno. Vocatur autem λόγος incarnatio οἰκονομία metonymicè, quoniam ex singulari dispensatione & demissione Dei facta est, adeoq; causa ponitur pro effectu. Paulus totum mysterium redemptionis, & officium Christi appellat οἰκονομίαν, Ephes. 1. v. 10. Coloss. 1. v. 25. Nec infrequens apud Patres Græcos est terminus περιχωρήσεως, imbecationis vel circumincessionis, uti vertit Galatinus, lib. 3. cap. 2. λόγος enim περιχωρεῖ vel penetrat, & caro περιχωρεῖται, vel penetratur. Nam ut ignis ferrum, anima corpus permeat; sic λόγος assumptam carnem pervadit, ut tota efficiatur Θεοθεΐα vel Deificata. Ambrosius de Sacramento Incar. cap. 4. vocat susceptionem nostræ naturæ, quo vocabulo & alii Patres Latini sæpius sunt usi.

LIII.

II. De quæstione, An Deus sit incarnatus?

2. Quæstio,
An Deus sit
incarnatus,
ubi affirmativè
probat

Dicimus verò breviter, quòd incarnatio Dei in Veteri Testamento futura prædicatur per Prophetas; in Novo facta declaretur per Apostolos. Dicta utrobique occurrunt plurima: Nos ex quovis instrumento aliqua proferemus.

LIV.

Ex Esa. 9. v. 6.

Primum igitur urgemus dictum Esa. 9. v. 6. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, &c.* Notes verò (1.) de Messia hinc sermonem fieri, ut ex vers. 2. ad Christum applicato, Matth. 4. v. 26. & ex v. 7. Regni Davidici perpetuitatem describente, luculenter patet. (3) Prophetam de futuris loqui in tempore præterito, ob-

sum-

summam certitudinem. Nam ad futura ipsum respicere, docet
 verbum *Vocabitur*. (3.) Distinctis nominibus *pueri & filii* distinctas
 naturas exprimi. Messias enim *puer* est in tempore natus quoad
 humanitatem, & *filius est*, nim. ab æterno genitus, quoad divinita-
 tem, nobis autem datus vel donatus ex gratia, *Joh. 3. v. 16.* ut per
 ipsum haberemus vitam æternam. (4.) Puerum illum esse verum
 Deum, id quod appellationes tributæ satis evincunt. Nominatur
 enim *admirabilis*, ob personam & officium: *Consiliarius*, ob decreto-
 rum divinorum functionem & annunciationem: *Deus* ob naturam:
fortis ob potentiam: *Pater æternitatis* ob durationem: *Princeps pacis*,
 ob meritum & imperium. Nos duos cum primis titulos urgemus,
 nempe quòd vocatur *Deus & Pater æternitatis*. In Hebræo habetur
 הַיְהוָה, quod quidem in genere notat *robustum & potentem*; absolute
 tamen positum, veri Dei nomen est, cui tribuitur κατ' ἐξοχήν, *Jer.*
32. v. 18. Hinc Jonathan & LXX. reddiderunt *DEUS*, quæ ipsa ap-
 pellatione tribuitur filio Mariæ, *Joh. 1. v. 1. c. 20. v. 18. Act. 20. v. 28. Rom. 9.*
v. 5. 1. Joh. 5. v. 20. Lutherus vertit per *Krafft* in abstracto, quia
 Deus verus non tantum fortis; sed ipsa fortitudo est. Neque verò
 Messias tantum Deus; sed insuper vocatur יהוה, h. e., *Deus fortis*
stärcker Gott, ut vertit Piscator; quòd verus & omnipotens, ne-
 que aliquis nuncupatitius æstimetur Deus. Hieronymus quidem
 vult, ista nomina legenda esse disjunctivè, sicut & Lutherus vertit;
 nihil tamen obstat, quòd minùs conjungi possint ad fortius pro-
 bandum, præsertim quum nomen הַיְהוָה nullum habeat accentum
 è syntacticis, qui soli orationem distinguunt, sed habet duntaxat
 Etymologicum accentum Munach, qui vocem acuit. Deinde nun-
 cupatur אֲבִי הַיְהוָה *Pater æternitatis*, LXX. πατὴρ τῆς μέλλουσης
 αἰῶνος. Notatur verò tum ipsius æterna duratio, tum seculorum
 productio, sicuti de filio dicitur, quòd per illum secula sint con-
 dita, *Heb. 1. v. 3.* Jam qui non tantum æternus sed etiam Pater æter-
 nitatis est, eum sanè verum naturâ Deum esse oportet. Istis igitur
 ita declaratis, ex hoc dicto pro incarnatione λόγος sic concludi-
 mus: *Qui verus Deus & Pater æternitatis, simul tamen puerulus est,*
in tempore natus, eum incarnatum esse, vel carnem humanam

G

assum-

assumisse oportet. *Sed Dei Filius*, qui nominatur & est verus Deus & Pater æternitatis, simul est puerulus in tempore natus; *Quare Filium Dei incarnatum esse, vel carnem humanam assumisse oportet.*

L V.

Ex Jer. 23.
v. 6.

Idem probamus ex Jer. 23. v. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & suscitabo David germen justum: & regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet iudicium & iustitiam in terra; v. 6. In diebus illis, salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Jehova iustitia nostra.* De hoc dicto scribit Lutherus Tom. 5. Germ. Witeb. p. 307. *Last vns diesen Text wol merken / wann nun die Ketzer vnd Secten auffstehen werden / vnd diesen Artickel vnser Glaubens anfechten / dasz Christus nicht ein warer vnd natürlicher Gott ist / (wie denn gewisz diese Ketzerey no h kommen wird) dasz wir denn gewisz seyn / vnd ihnen diesen Spruch können für die Nasen halten / darwieder Sie nichts leichtlich werden können auffbringen.* Nam extra dubium est, Dominum vaticinari de Messia, cuius duplex natura duobus titulis perspicuè satis describitur.

1. Nominatur *גֶּרְמֵן יָשָׁר* *Germen justum* Davidis, Ch. ver-
tit *Messiam justum*. Hoc nomen metaphoricum Christo tribuitur
(1.) *ratione ortus*, quia Messias, quâ homo, è familia Davidis pullu-
lavit, instar germinis ex effœta arbore; (2.) *ratione augmenti*, quia
ut germen magis magisq; accrescit; Sic Filius Mariæ crevit ætatè,
sapientiâ, & gratiâ apud Deum & homines, *Luc. 2. v. ult.* ad quam su-
bitaneam accretionem respicientes LXX. verterunt *ἀνατολήν δι-
καιοσύνης*, *orientem justum*, quo titulo & Zacharias Messiam nuncupat,
Luc. 2. v. 78. *ἀνατέλλω* græcis idem est sæpè, quod orior, vel produ-
co per germinationem, ut apud Apollonium l. 2. *Argonauticῶν: ἐρέων
δὲ ἀνέτελλον ἐρείπια*, *Montium summitates oriebantur, sive apparebant.*
Imò propriè hoc verbum de herbis dicitur, auctore Suidâ, *ἀνατε-
λαι, ἀνθήσαι ἐκ μετὰ φθορᾶς τῶν βοτάνων*; *ἀνατελαι* est floruisse, me-
taphorâ sumtâ ex herbis. Homerus l. 5. *Iliad. τῶν δὲ ἀμβροσίην
Σιμόεις ἀνέτρενε νέμεσθ*, id est, *His autem Ambrosiam Simois produ-
cebat*

cebat ad pascendum. Et Jer. 33. ubi est idem verbum Hebraicum non
verterunt LXX. ἀναθλιω; sed βλαστον germen, ad innuendum,
quod hæc habeant pro synonymis. Notatur ergo humanitas Mes-
siæ, secundum quam est germen Davidis, ex hujus semine progna-
tus, Rom. 1. v. 3. quod germen *justum* dicitur, *tum* ratione sui, quia ju-
stus est Messias, & habitu & actu, *tum* ratione nostri, propter me-
ritum & applicationem, quia justitiam nobis acquisivit, & acqui-
sitam per fidem imputat. Idem titulus tribuitur Messiaë, Jer. 33. v. 15.
Zach. 3. v. 8. c. 6. v. 12.

2. Appellatur יהוה צדקנו *Jehovah justitia nostra*. Hoc enim
dicitur ejus nomen esse, quo vocabunt eum, v. 6. LXX. κύριος
Ἰωσεδεκ, ex יהוה & צדק Vatablus: *Dominus justus noster*. Est autem
יהוה nomen Dei essentielle, quod ipsi soli competit, Ex. 3. v. 15. Ps.
83. v. 19. Es. 37. v. 20. c. 42. v. 8. c. 43. v. 11. c. 45. v. 5. 6. 18. Os. 12. v. 5. quod
nomen quia difertè germini Davidis, Messiaë, tribuitur, ipsum ve-
rum Deum esse oportet, quum vocari apud Hebræos idem sit, quod
esse, & nemo vocetur Jehovah, qui non sit verus ac æternus Deus.
Dicitur ergo Salvator mundi Jehovah ob naturam divinam; & ju-
stitia nostra propter officium, quia justitiam suo λόγῳ peperit, &
credentibus confert, unde Paulus scribit similiter, eum à Deo no-
bis factum esse justitiam, 1. Cor. 1. v. 30. Agnovit hoc R. Joseph Albo,
in lib. Iccarim, ubi hæc verba: *Nomen Messiaë est Jehovah, justitiæ
nostræ, eò quod sit Mediator Deus, per quem assequemur justitiam à
Deo.*

Ex hoc autem dicto pro incarnatione λόγῳ tale formamus
argumentum: *Quicumq; est verus Jehovah, & nihilominus unà di-
citur germen Davidis in tempore suscitatum; is procul dubio in-
carnatus est, vel humanam carnem assumpsit: Sed Filius Dei, à Pa-
tre missus in mundum, est verus Jehovah, & nihilominus dicitur
germen Davidis, in vaticinio Jeremiæ. Ergo, Filius Dei procul du-
bio incarnatus est, vel humanam carnem assumpsit.*

LVI.

Præterea urgemus dictum Mich. 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephra- Ex Mich. 5.
ta, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in v. 2.
Israel, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.*

G 2

Hic

Hic primùm exprimitur Patria Messiaë, *urbs Bethlehem*, quæ vox denotat domum panis & fœcunditatis, cum primis ideò, quia ex ea oriturus erat Christus, panis verus, qui de cœlo descendit, *Job. 6. v. 33. 34.* Nec enim de Davide, post quem edita hæc Prophe- tia, nec de Zorobabele, quia natus in Babylone, potest intelligi, sed tantùm de Messia, fatentibus scribis Herodis, *Matth. 2. v. 6. & populo, Job. 7. v. 42.* Notari autem hîc debet triplex differentia in- ter verba Prophetæ & scribarum citantium: (1.) Micheas inquit: *Et tu Bethlehem Ephrata*, distinctionis causâ, quia fuit duplex Beth- lehem, altera in tribu Zabulon, *Jos. 19. v. 15.* altera in tribu Juda, quæ dicta est Ephrata, *Gen. 35. v. 16. c. 48. v. 7.* vel ob frugum abun- dantiam, à פֶּרְתָּהּ fertilis fuit, vel ab uxore Calebi, cujus nomen E- phrath, *1. Par. 2. v. 19.* ut placet Schindlero in Lexico, col. 112. vel à viro Ephrata, Patre Bethlehem, *1. Par. 4. v. 4.* ubi placet Riberæ, in Proph. minores, p. 439. fac. 1. A. Scribæ autem non utuntur nomi- ne Ephrata, sed dicunt, *σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα*, atq; sic consensus est in re, dissensus tantùm in verbis. (2.) Prophetæ inquit affirmativè; *Minima vel parvula es*; Scribæ autem citant negativè; *ὄδαιως ἐλα- γίστη εἶ*, *Nequaquam minima es.* Hieronymus non vult ista concilia- re, sed potius arguit Scribarum in legendis Scripturis negligentiam, in pervertendis malitiam, quæ ut pateret, Matthæum posuisse putat, ut ab eis dictum erat. Videtur tamen neq; hîc in rebus esse dissonantia. Nam Prophetæ mens est, urbem Bethlehem, licet sit vilis & contemta, fore tamen Messiaë Patriam, atq; sic valdè no- bilem. Hunc sensum clarius expressuri scribæ, ita reddunt: *Ne- quaquam minima es*, nempè propter Messiam, licet aliàs sis parva & contemta, licet sis instar parvuli, instar vilis pueruli, quia in Hebræo ponitur masculinum, & solet Scriptura de urbibus loqui velut de hominibus. (3.) Prophetæ scribit: *Parvulus es, ut sis in millibus Juda.* Erat populus Judaicus oppidatim distributus in chiliades vel mil- lenarios, *Ex. 18. v. 21. Jud. 6. v. 15. 1. Sam. 20. v. 19.* sicut Romanus in centurias. Ubi ergo multa millia habitabant, ibi multi erant chili- archæ. Bethlehem autem fuit parva inter chiliades i. e. pauci ho- mines habitârunt in ea, oppidum fuit exiguum, majoribus non comparandum, ita ut vix unum vel minimum chiliarcham pos- set præ-

set præbere. Hunc sensum attendentes scribæ ita verterunt :
Nequaquam minima es, ἐν ἡγεμόσιν ἰσραὴλ, inter Principes Juda. Dici
etiam posset, quòd numerus certus pro incerto ponatur, & sensus
sit; Tu es minima inter mille vel plurimas civitates, quæ vocantur ἡγε-
μόνας duces, quasi essent homines, ob dignitatem, nam ἡγεμὼν est
Princeps aut dux, ab ἡγέμαι, præeo, duco.

II. Ponitur singulare nomen Messia, dum vocatur
הושיע Dominator in Israel, LXX. verterunt ἀρχοντα, Scribæ Matth.
2. v.6. ἡγούμενον, Ducem. Ch. Ex te prodibit Christus, ut sit dominium
exercens. Luth. Herr/Piscator Herrscher. Sic Dan. 9. v.25. Messi-
as vocatur Princeps. Jer.23. v.5. Rex. Quia enim in Davidis familia
primùm Reges, post Duces fuerunt; hinc utrumq; Christo nomen
tribuitur, quia per utrosq; præfiguratus est. Regnum verò Christi
non est de hoc mundo, Joh. 18. v.36. sed consistit in prædicatione
verbi, quæ est pastura & rectora spiritualis, unde scribæ Matth. 2. v.6.
ποιμανεῖς, pascet, seu verbo reget populum meum. Est autem duplex Is-
raël, in quo Christus dominatus: (1.) Carnalis, quia multi olim ex
Judæis conversi sunt, Act. 21. v. 20. & etiamnum convertuntur. (2.)
Spiritualis, Roman. 9. v. 8 qui sunt Christiani ex gentibus conversi,
quorum Dominus, dux & caput est Messias; Unde patet, frustra
hoc objicere Rabbinos, qui dicunt, Mariæ filium non in Israële,
sed Israëlem de ipso esse dominatum.

III. Describitur nativitas Messia temporalis, per verbum
egrediendi, quod sæpè idem est, ac nasci, ut Gen.15. v. 4. Filius qui e-
gredietur è visceribus tuis. Ita sumitur quoq; 2.Sam.7. v.12. 2.Reg.10.
v.18 quia nativitas nihil aliud est, quàm quidam egressus in mun-
dum. Dicitur verò egredi Deo ipsi (Ex te mihi egredietur) ad innu-
endum, quòd à Deo missus sit, quòd Dei voluntatem efficere de-
beat, quodq; ipsius Dei filius futurus sit. Patres enim ita loqui so-
lent de filiis, mihi natus est, Gen.21. v.3 c.24. v.24.

Tandem IV. Innuitur æterna nativitas, & vera Deitas Mes-
sia, per verba; Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis. In Hebr.
est plurale יציאות egressiones ejus, LXX. ἔξοδοι, Pisc. dessen
Ausgänge/ quod de duplici nativitate Christi dictum putat Ga-

Latinus l. 4. c. 13. *Vatablus* in notis, & *Winckelmannus* in c. 5. Mich. Duplex enim est egressus Messiae, temporalis secundum carnem; aeternus secundum divinitatem. Illum notari putant verbis *Ab initio*, quia incarnatio filii Dei ab initio mundi sit promissa; Hunc verò verbis, *A diebus*, hoc est, *ante dies seculi*. Verùm incommoda videtur hæc expositio (1.) quia de egressu temporali ex Bethlehem jam antè dictum. (2.) quia explicari nequit, quomodo natiuitas Christi secundum carnem sit ab initio, nisi patiamur nobis obtrudi somnia Judæorum, particulam materiæ, ex qua Mater Messiae formanda, signatam fuisse in Adam à diebus seculi, i. e. ab initio mundi, quod persuadere nititur *Galatinus*, l. 4. cap. 13. l. 7. cap. 2. 3. 4. (3.) quia tota vis vaticinii enervatur, si egressus ab initio non de reali existentia, sed de promissionibus tantùm intelligatur. (4.) quia de uno egressu utraque phrasis (*ab initio*, & *à diebus seculi*) pronunciat; unde Lutherus vertit in sing. *welches ausgang*. Quare per hunc egressum nihil aliud, quàm æterna Filii Dei existentia notatur. Ut enim *egressus ex Bethlehem*, significat natiuitatem temporalem; sic *egressus ab initio* denotat natiuitatem & existentiam æternam. Hinc rectè Hieronymus: *Est ac si diceret, Carnis assumptio divinam non impedit maiestatem; De me n. natus est ante omnia secula, & temporum conditor in tempore non tenetur*. Quòd autem pluralis numerus adhibetur, factum putat ideò, quia Filius semper procedit à Patre jugi emanatione, ejusq; natiuitas omnibus durationibus coëxistit. Nec aliàs Scripturæ infrequens est, in rebus maximis nominandis, plurali uti pro singulari, ut Jobi 40. v. 10. *Ecce Behemoth (in plurali) quem feci*. Behemoth notat bestias multas, eò quòd instar multarum est.

LVII.

Porrò egressus iste æternus duobus vocabulis describitur: (1.) *מִקֶּדֶם*, à quondam, vel ab antiquo. *קֶדֶם* in genere notat *prioritatem*; de tempore usurpatum, significat *olim, antiquitatem, seculum, æternitatem*, ut *ψ. 78. v. 2. Eloquar enigmata מִקֶּדֶם à seculo, ab initio*, quod Christus ita reddidit Matth. 13. v. 35. *abscondita à constitutione mundi*. Sic Prov. 8. v. 23. *מִקֶּדֶם אֶרֶץ à primordiis terra*. Pl. 55. v. 20. *dici-*

dicitur; *Exaudiet te Deus, qui sedet* אֲרֵץ *ab initio* i. e. *ante secula*, ut ver-
 tit vulgatus, vel *ab aeterno in aeternum*, unde Luth. *Der allwege*
bleibet. LXX. textum Michæ verterunt: ἀπ' ἀρχῆς, quos sequi-
 tur Lutherus, *vom anfang. Ch. ab aeternitate. (2.) מִיְמֵי עוֹלָם*
à diebus seculi. LXX. ἐξ ἡμερῶν αἰῶν ☉, hoc est, *Exitit & egressus*
est Messias, quum seculum fieret. nullum tempus cogitari potest, quo
 non fuerit, adeoq; hac phrasi aeternitas sine dubio innuitur.
 אֲרֵץ quidem & aeternum tres habet significationes, notante Au-
 gustino l. 16. de C. D. c. 26. & in quaest. super Gen. q. 31. Sumitur enim
 (1.) *pro duratione longa*, ut Ex. 21. v. 6. *Erit ei servus in aeternum.*
 (2.) *pro duratione mundi*, Ecclesiastæ 1. v. 4. *Terra in aeternum stat.*
 (3.) *pro duratione, quæ caret principio & fine*, h. e. *pro ipsa aeternitate*
 quæ propriè vocatur αἰῶν ab αἰεὶ εἶναι, i. e. *ab eo, quòd semper sit*,
 docente Philosopho l. 1. de coelo, c. 9. Ubique autem pro subjecta
 materia explicandum est, de rebus aeternis aeternè, de temporali-
 bus temporaliter, de diuturnis diuturnè. Quo autem sensu hic
 capienda sit vox illa, non est obscurum. Nam Propheta non
 loquitur de duratione futura, sed præterita, non describit existen-
 tiam Messiae quoad finem, sed quoad principium, & dicit, eum ex-
 titisse, vel egressum esse à diebus seculi, hoc est, fuit ante ipsum secu-
 lum, ante mundum conditum, quod nihil aliud est, quàm ab aeter-
 no. Solet enim scriptura his phrasibus aeternam durationem expri-
 mere, ut Ps. 90. v. 2. *Priusquam montes fierent, à seculo es Deus*, i. e. *ab æ-*
terno, Joh. 1. v. 1. *In principio erat verbum.* Eph. 1. v. 4. *Elegit nos ante*
constitutionem mundi. 1. Joh. 1. v. 1. *Quod fuit ab initio.* 1. Joh. 2. v. 13. 14.
Cognovistis eum, qui ab initio est, i. e. aeternum Patrem. Et sanè nullus
 proferri potest locus, in quo de re creata dicatur junctim, quòd
 fuerit ab initio, & à diebus seculi. Contra Photinianos igitur fir-
 missimè sic concludimus: *Qui egressus est vel extitit ab initio, à die-*
bus seculi, is, quâ talis, non primùm postremo mundi tempore
cœpit existere. Sed Messias egressus est vel extitit ab initio, à die-
bus seculi. Ergo Messias, quâ talis, non primùm postremo mun-
di tempore cœpit existere. Porro, qui extitit ab aeterno, simul ta-
men in tempore egreditur, ut homo: illum verè incarnari, & car-
nem assumere oportet. Atqui Messias, quâ Deus, extitit ab aeter-
no, &

no, & simul in tempore ex Bethlechem egressus est, ut homo. *Quare illum verè incarnatum esse, & carnem assumisse oportet.*

L VIII.

Ex Joh. 1.
v. 14.

Ex Novo Testamento sequentia urgemus dicta: Principalis locus est Joh. 1. v. 14. *Verbum caro factum est* &c. quibus verbis tale mysterium exprimi piè credidit antiquitas, ut ad eorum prolationem viri capita nudaverint, & mulieres genua flexerint, quem ipsum morem in nostris Ecclesiis meritò retinemus. Tres autem in versu illo 14. continentur propositiones, ex quibus huc præcipuè spectat prima: *Verbum caro factum est*, quæ studiosè venit consideranda. Per *Verbum* persona Filii Dei simplex intelligitur; per *carnem* humana natura, quo etiam sensu accipitur Joh. 6. v. 51. 52. 53. seqq. Hæc duo non sunt ἑσσιωδῶς unum, sed realiter distincta, quòd innuit inter alia verbum γίνεσθαι. Omne enim quod fit, distinctum est ab eo, quod fit. At λόγος factus est caro. Quare non est ipsa per essentiam caro. Hinc observant docti, quòd Johannes, postquam λόγος incarnationem descripsit, in toto Evangelio non amplius usus est vocabulo λόγος, sed adhibuit tales voces, quæ totum ὑφιστάμενον ex utraq; natura compositum denotant, quales sunt *Jesus, Christus, Messias*. Hoc ipso igitur innuit, λόγον notare personam ἀσύνθετον, quæ carnem verè assumerit, & post hanc assumptionem in utraq; natura subsistat: λόγος enim caro factus est, non per σύγχυσιν aut confusionem, ut somniavit Eutyches; non per μεταβολὴν vel conversionem, quomodo ὁ ἕλαδὸς ἐγένετο ὄψις, Ex. 4. v. 3. aqua vinum facta dicitur, Joh. 2. v. 9. Sed per ἐνώσιν vel unionem, per κατοίκησιν, vel inhabitationem personalem, Col. 2. v. 9. per μετοχὴν vel participationem, Heb. 2. v. 14. & ἐπίληψιν, vel assumptionem, v. 16. Assumens ergo est λόγος, assumptum est σὰρξ, terminus in quem est ὑπόστασις λόγος, quæ jam ipsius carnis facta est ὑπόστασις, unde prædicantur de se invicem, & verè dicitur, *Verbum est caro, & Caro est verbum*. Ex quo apparet, illam assumptionem non esse unionem ὁμοειδικήν, quippe ob quam unita verè de se prædicari nequeunt, sed potius intimam & ὑποστατικὴν. Gregorius l. 6. epist. 62. hoc breviter declarat, ita scribens: *Verbum carnem dicimus factum, non immutando quod erat, sed suscipiendo, quod non*

*non erat. Incarnationis enim suae mysterio unigenitus Patris nostra auxit,
 sua non minuit. Illustrari hoc potest dicto Gen. 2. v. 7. ubi primus ho-
 mo, quum corpori ejus de limo terrae formato inspiraretur spira-
 culum vitae, dicitur factus in animam viventem, quod repetitur
 1. Cor. 15. v. 45. & applicatur ad Christum, Secundus homo factus est in
 spiritum vivificantem, quod de divina natura plerique intelligunt.
 Ut igitur primus homo, jam formatus ratione corporis, factus est
 anima, vel in animam, non per corporis in animam mutationem,
 sed per arctissimam unionem: Sic λόγος factus est caro, quia
 carnem assumpsit, & sibi personaliter univit. Sic Paulus alibi, quid
 sit carnem fieri, luculenter declaravit, Rom. 1. v. 3. ubi λόγον carnem
 factum vocat filium Dei, ἡρόμνον ἐκ σπέρματος Δαβιδ κατὰ
 σάρκα, factum ex semine David secundum carnem. Quare fieri car-
 nem, est nasci ex semine Davidis, & naturam humanam assumere.
 Galat. 4. v. 4. idem vocabulum repetit Apostolus, & filium Dei ap-
 pellat ἡρόμνον ἐκ γυναικός, factum vel natum ex muliere. Ex quibus
 omnibus apparet satis, γίνεσθαι hic idem esse, quod fieri, nasci, unde
 argumentum extruimus firmissimum: Quicumque caro factus est, is
 verè incarnatus est. Atqui λόγος vel filius Dei factus est caro.
 Quare λόγος vel filius Dei verè est incarnatus. Sic igitur hoc bre-
 vi aphorismo totum ἐνσαρκώσεως mysterium exprimitur, & qui-
 dem verbis significantissimis, quorum delectum studiosè habuit
 Johannes. Nam (1.) non dicit, Deus est factus caro, ne tota Trini-
 tas putetur incarnata. (2.) Non ait, Christus est factus caro, quia an-
 te carnis assumptionem non fuit Christus. (3.) Sed λόγος factus
 est caro, secunda Trinitatis persona, quippe cui soli hoc proprium.
 (4.) Non scribit absolutè, Verbum factum est, quia fuit in principio,
 ab æterno. (5.) Sed limitatè, factum est caro, ad innuendum, λόγον
 mansisse, quod erat, & factum esse, quod non erat. (6.) Non ait,
 factus est Φάντασμα, vel species corporis, sed factus est caro, ut in-
 dicaret, ipsum assumpsisse non schema nudum, sed veram naturam
 cum ἀδιαβλήτοις infirmitatibus. (7.) Non ait, Verbum in carnem
 mutatum, sed factum est, manendo quod fuit, assumendo quod
 non fuit. (8.) Nec scribit, Verbum sibi carnem adjunxit, ne vulgaris
 unio censeretur; sed factum est caro, ad arctissimam utriusque unio-
 nem*

H

nem

nem exprimendam. Atque sic Evangelista prudenter temperavit verba, ut simul & unitatem personæ Christi, & cum ea differentias naturarum ostenderet. *Augustinus* pulchrè lib. 13. de Trin. c. 19. *Quum lego, Verbum caro factum est, in Verbo intelligo verum Dei Filium; in carne agnosco verum hominis filium: & utrumq; simul in una persona Dei & hominis, ineffabili gratiæ largitate conjunctum.*

LIX.

Ex Coloss. 2.
vers. 9.

Deinde allegamus dictum, Col. 2. v. 9. *In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* Colossenses Apostolus monet v. 8. ut relictis omnibus seductorum principiis, soli Christo adhæreant; additq; rationem, v. 9. *quia in ipso inhabitet omnis plenitudo Deitatis corporaliter,* hoc est, quia ille ipse filius Mariæ sit verus Deus, & per consequens perfectus Doctor, adeoq; solus audiendus. Omnia enim in ipso & ab ipso abundanter habere possumus, ut ad alios confugere non sit opus. Consideranda verò hîc sunt singula verba:

1. Pronomine *ἐν αὐτῷ* respicitur ad Christum, cujus modò facta fuit mentio; Unde patet, Nimis arbitrarium & ineptum esse, Christi vocabulum *μετωνυμικῶς* exponere de Christi doctrina, ut faciunt Photiniani. Nam nulla est ratio cogens, cur à clara littera, & sensu verborum proprio discedamus. Neque ullus proferri potest locus, ubi Christi vox non ejus personam, sed doctrinam denotet.

2. Per verbum *κατοικεῖ* innuitur fixa & continuata mansio, siquidem id, de quo loquitur Apostolus, Christo non inest ad tempus, & accidentaliter; sed fixum manet, velut in propria sede.

3. Exponitur ipsum inhabitans, quod vocatur *πᾶν πλήρωμα θεότητος* id est, perfectissima, & plenissima Deitas. Nec enim utitur Apostolus vocæ *θεότητος* vel *divinitatis*, ut habet vulgatus, quo pacto possent dona infusa denotari; sed *θεότητος* quâ juxta perpetuum Scripturæ usum ipsa divina essentia, majestas & gloria intelligitur. Utq; de vera Deitate sermonem fieri ambigeret nemo, Paulus non ait *θεότητα* inhabitare, sed *πλήρωμα*, & quidem *πᾶν πλήρωμα θεότητος*, quo pacto infinita essentia, cui nihil addi, demivè potest; quæ in se perfectissima est, perspicuè indicatur.

4. Modus

4. *modus inhabitationis* describitur adverbio *σωματικῶς*, quo tria innuuntur. (1.) Idem est, quod *verè ac realiter*. Corpus enim opponitur umbræ. Hinc quod non est umbratile, dicitur corporale, unde corporaliter. Sic germani: *Er ist oder kommt leibhaftig* id est, verè & reipsâ. Placet expositio hæc *Anselmo*, qui confert corpus Christi cum templo Salomonis. In hoc fuit plenitudo divinitatis umbratiler, sed in Christo est corporaliter, hoc est, solidè ac veraciter, ut ipse loquitur. Sed quia hoc nimis generale est, & Deitas in sanctis etiam verè habitat, addendum (2.) *σωμαλικῶς* esse idem, quod *personaliter*. Nam τὰ σωματα non infrequenter personas notant, ut in *Theogn.* σώματα πολλὰ τρέφειν, *Multas personas alere*, & in hoc *Thucydidis*, l. 6. *Civitas aucta est καὶ χεῖμασι καὶ σώμασι*, *divitiis & hominibus*. Sic LXX. aliquoties verterunt σώματα, quando Hebræus textus loquitur de personis, ut *Gen. 34. v. 21. Tob. 10. v. 10.* Ita ergo voce illâ exprimitur modus *κατοικήσεως*, quod in Christo sit plenitudo Deitatis, non ut est in sanctis *πνευματικῶς*, vel spiritualiter; sed *σωματικῶς* vel personaliter, sic quidem, ut una ex duabus naturis constituatur persona. Nisi autem ita exponatur, absurdum hoc sequitur, Deitatem esse in Christo corporaliter, hoc est, *modo corporeo*, si nativa hujus adverbii significatio urgeatur. (3.) Innuitur verum subjectum & habitaculum, quod est *σῶμα* vel humanitas Christi. Idem enim est *σωμαλικῶς*, quod in corpore vel secundum corpus, veluti dicitur agminatim, oppidatim, turmatim, id est, cum agminibus, in oppidis, cum turmis: quam ob causam *Oecumenius* *σωμαλικῶς* interpretatur *ἐνσαρκῶς ἢ σεσαρκωμένως* in carne vel juxta carnem. Nec enim Deitas habitat in seipsa, ideoque necesse est, ut aliud sit *θεότης* habitans; aliud habitaculum, seu templum, in quo habitat, quod non aliud, quam *σῶμα* vel humana natura. Eadem est mens *Damasceni*, qui lib. 3. cap. 6. scribit: *σωμαλικῶς τὸ ἔστιν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτῆς*; *Corporaliter, hoc est, in carne ejus*: quod spectat & illud *Ignatii* in *Epist. ad Trallianos*: *Maria genuit corpus, habens Deum ἔνοικον, i. e. inhabitatorem quasi domesticum, in proprio assumpto corpore personaliter inhabitantem.*

Proinde sensus hujus dicti simplicissimus, & ex litera fluens

iste est: Non aliqua particula, sed tota plenitudo, non donorum, sed ipsius Deitatis, non ad tempus manet, sed perpetuò habitat in Christo θεὸς ὁ ὢν, non fictè, sed verè, non umbratilitèr, sed personalitèr; non secundum divinitatem, sed potius juxta carnem assumtam, in qua illa, tanquam in proprio suo templo est. Unde porrò sequitur, λόγον verè incarnatum esse, quia Deitas, quæ in Christi carne σωματικῶς habitat, non sumitur absolutè, sed relatè, pro Deitate Filii Dei, sicut Scriptura passim declarat. Quicumque autem in carne habitat personalitèr, velut in proprio templo, eum certè incarnatum esse oportet, præsertim quum τὸ inhabitare per carnem fieri explicetur, Johan. 1. v. 14.

LX.

Ex 1. Tim. 3.
v. 16.

Tandem producimus locum classicum 1. Tim. 3. v. 16. Manifestè magnum est pietatis mysterium, Deus manifestatus est in carne, justificatus in Spiritu, apparuit Angelis, predicatus est gentibus, creditus est in mundo, assumtus est in gloria. In hoc dicto duo veniunt consideranda. Primum est, Incarnationis sublimitas. Nam vocatur (1.) μυστήριον, ratione tum sui, quia res est sublimis, sacra & divina: tum nostri, quia res est abscondita & arcana Rom. 16. v. 25. quæ neque sensu, neq; ratione à nobis comprehendi potest. (2.) μυστήριον τῆς εὐσεβείας, partim quoad finem, quia fundamentum est omnis veræ religionis & pietatis; partim per Hebraismum, quia est mysterium non profanum, sed religionis Christianæ, vel religiosum & sanctum, ideoq; piè ac religiosè à nobis considerandum. Hinc Lutherus vertit: Das Gottselige Geheimniß / Syrus, Arcanum justitiæ. Cast. Arcanum Christianæ religionis. (3) μυστήριον μέγα, ratione & ortus, quia decretum & ordinatum à magno Deo; & adus, quia in se multis modis magnum est & stupendium; & finis, quia per illud res maximæ sunt effectæ. (4.) μέγα ὁμολογηθῆναι, hoc est, circa controversiam, sine dubio, omnium confessione. Quam primùm enim auditur, mens humana obstupescit, & magnitudinem fateri cogitur. Vulg. habet, Manifestè. Luth. fundlich. Piscator bekandlich. Syrus, Certè magnum. Cast. Perfectè. Beza, Sine dubio.

LXI.

Secundum est Incarnationis veritas. Hoc enim illud est my-

est mysterium, quòd Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. Vulgata quidem vocabulum *Dei* non habet, legitur tamen in probatissimis exemplaribus græcis, & in quibus non extat, ex iis procul dubio astu hæreticorum sublatum est, ut sine causa putet *Erasmus*, (Deum) additum fuisse adversus hæreticos Arianos; nec probari potest ejus expositio, quâ de prædicatione Evangelii sermonem hîc fieri putat, quum addita prædicata longè doceant aliud, quod *Beza* in notis ostendit, & hinc *Erasmus* non immeritò refutavit. Vox autem *Dei* non sumitur hîc absolutè, vel communiter pro tota Trinitate, multò minus pro persona prima, seu Patre; sed potius pro *Filio Dei*, 1. quia huic, non Patri, aliàs in toto Novo Testamento tribuitur manifestatio in carne, ut *1. Joh. 1. v. 2. cap. 4. v. 2. Confer, 1. Joh. 3. v. 8. Rom. 8. v. 3. Gal. 4. v. 4.* 2. quia revelatio doctrinæ Patris nunquam in Scriptura dicitur manifestata in carne, & 3. quia soli Filio conveniunt attributa, quorum sex commemorantur ordine. Nam Deus dicitur:

I. Manifestatus in carne: ἐφανερώθη ἐν σαρκί. Vocabulo σαρκὸς notari humanitatem veram, alibi ostensum est. Quomodo autem Deus vel λόγος in carne sit manifestatus, docet Johannes, c. 1. v. 14. dum ait: λόγον esse carnem factum, & sic habitasse in nobis, ejusq; gloriam visam esse, quod repetit, *1. Joh. 1. v. 1. 2.* Inepta verò est glossa Photinianorum, qui in carne exponunt de hominibus abjectis, per quos Deus sit prædicatus & revelatus. Nam hunc esse sensum probari nequit, textui vis infertur, & ita non innueretur mysterium Novo Testamento proprium, quum & olim in Veteri Testamento per homines Deus sese patefecerit, *Luc. 24. v. 27. Act. 26. v. 24.* Nos autem pro Incarnatione sic concludimus: Quicumq; singulariter in carne est manifestatus, ita ut caro factus sit, is utiq; carnem assumpsit, & incarnatus est. De λόγω verò dicitur antecedens. Quare & consequens.

II. Justificatus in Spiritu; ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι. Hoc attributum, & sequentia, loquuntur de λόγω incarnato, quia describunt ea, quæ post incarnationem contigerunt. Sunt autem verba nonnihil obscura, unde existunt variæ ἐξηγήσεις, ex quibus

Spiritum notari divinitatem, seu virtutem divinam, ut *Rom. 1. v. 4.* & *1. Petr. 3. v. 19.* per justificari verò declarationem summæ justitiæ & perfectionis, quæ non nisi Deo competit. Sic mandata Dei dicuntur justificata, *Psal. 19. v. 10.* i. e. exquisitè perfecta; & Deus dicitur justificari, *Psal. 51. v. 6.* i. e. justus & verax declarari. Sic ergo & λόγος incarnatus, vel Christus est justificatus in Spiritu, id est, justus & perfectus declaratus, per miracula virtute divinâ, seu virtute Spiritus facta. *Piscator: Gott ist Gerecht erkläret durch den Geist* / id est, durch seine Gottheit / durch welche er Wunderzeichen gethan / vnd sich selber von den Todten aufferwecket / seine Lehr zubestätigen. *Tremellius* ita expressit, *In illa infirma carne Christi ita vis divinitatis sese exeruit, ut Christum, quantumvis hominem infirmum, palam fuerit esse Deum.* Secunda est *Lutheri*, quem sequitur *Castalio*, qui vertit: *Per Spiritum commendatus est.* Nam justificari nonnunquam idem valet, quod celebrare, laudare, ut *Luc. 7. v. 29.* *Publicani ἐδὶν αἰῶσιν* laudârunt Deum: *Luth. gaben Gott recht.* & *Matth. 11. v. 19.* *Sapientia justificata* i. e. agnita, celebrata est. Ita & Filius Dei fuit justificatus i. e. commendatus & collaudatus per Spiritum Sanctum, quod cum primis factum in Baptismo, ubi Spiritus super eum in specie columbæ descendit, atque ita celebrem reddidit, *Matth. 3. v. 16.* *Joh. 1. v. 31.* *Lutherus* in notis marginalibus sensum ita exposuit: *Der heilige Geist preiset Christum im Evangelio vnd Glauben / welchen sonst alles Volck verdammete vnd lästerte.* Tertia est *Anselmi*, qui T. 2. pag. 357. exponit de sanctificatione assumptæ carnis, ita scribens: *Justificatus est in Spiritu, quia homo ille singularis, quem virgo genuit, factus est per Spiritum sanctum justus in utero matris.* Si objicias, in subjecto poni Deum, de quo dici nequeat, quòd sit in utero matris justificatus vel sanctificatus; Respondeo, Deum quidem tanquam subjectum nominari; sed hoc vocabulo notari Christum vel Filium Dei, qui à divinitate Deus dicitur, cui postmodum attribuuntur diversa, quædam secundum divinitatem, ut manifestari in carne; quædam secundum humanitatem, ut justificari & conspici. Ut enim per filium hominis notatur tota persona,

sona, à carne tamen denominata, quæ dicitur esse in cœlo, *Job. 3. v. 13.* & antequam Abraham fieret, *Job 8. v. 58.* ubi tamen attributa illa filio hominis conveniunt, non quâ tali, sed quâ Deus est. Sic in præsentī loco subjectum est Messias, qui voce Dei describitur, adeoq; à Deitate denominatur, non tamen hinc concludendum, quòd omnia prædicata de Deitate sint intelligenda; sed pleraque de ipso prædicantur, non quâ Deus est, sed quâ homo. Et si maximè concederetur, per Deum notari non totum ὁφισάμωρον; sed λόγον simplicem, nullum tamen hinc sequeretur absurdum, quia λόγος dicitur justificatus, conspectus, in cœlum assumptus, non in se, & quoad suam naturam; sed in carne sua, quæ ipsi personalter propria est, non secus atque λόγος verissimè in illa ipsa carne assumpta passus dicitur.

III. Conspectus est ab Angelis. Vulgata habet, *Apparuit.* Græc ὤφθη ἀγγελοῖς. Luth. *Erschienen den Engeln.* Pisc. *Ist gesehen worden von den Engeln.* Possunt autem duplices Angeli hîc intelligi: (1.) *Angeli propriè dicti*, quoad naturam, qui viderunt λόγον incarnatum, ipsâ nativitatē nocte, *Luc. 2. v. 13.* qui ministrârunt ei in deserto, tempore tentationis, *Matth. 4. v. 11.* qui confortârunt in agone, *Luc. 22. v. 43.* qui viderunt resurgentem, *Matth. 28. v. 2. Marc. 16. v. 5. Luc. 24. v. 4.* & ascendentem, cumq; discipulis ejus collocuti sunt, *Act. 1. v. 10. seqq.* (2.) *Angeli impropriè dicti*, quoad officium, hoc est Apostoli, & fideles discipuli, qui Dei Filium utique viderunt, & cum illo conversati sunt, quod celebrat Lucas, *cap. 1. v. 2.* & Johannes *1. epist. 1. v. 1. 2.* Ita exponit *Anselmus* Tom 2. pag. 357. cujus hæc verba: *Apparuit Angelus, id est, innotuit Apostolis & prædicatoribus, qui pro eo, quòd gloriam regni cœlestis annunciant, Angelorum nomine designantur. Unde & Johannes in Apocalypsi septem Angelus scribit, id est, Episcopus septem Ecclesiarum Asia.* Nihil verò incommodi habet hæc expositio: Prior tamen ad literam textus magis accedit, cum qua si quis posteriorem conjunxerit, non dicet contraria, sed subordinata, quæ se invicem non tollunt.

Reliqua tria prædicata sunt satis perspicua & explicatione vix egent. Nam verè Dei Filius est gentibus, à regno Dei olim alienis,
per

per Apostolos prædicatus, Gal. 4. v. 8. 9. 1. Thess. 7. v. 9. est in mundo creditus, vel fides illi in mundo est habita, qui salutaris ministerii effectus, Act. 13. v. 48. Coloss. 1. v. 6. 23. est denique in gloria assumptus, quum in cœlum ascenderet; Idem enim verbum ἀνελήθη, quod hîc habet Apostolus, de gloriosa Christi ascensione usurpatur, Marc. 16. v. 19. Act. 1. v. 11. unde Syrus rectè vertit: *Sublatus est in gloriam*: Et Lutherus; *Auffgenommen in die Herrlichkeit*. Unde luculenter patet, non de Deo Patre, sed de ejus Filio sermonem fieri, quippe qui solus in cœlum ascendit, & in gloriam receptus est.

Colophonis loco illud notetur, quòd in hisce sex prædicationibus unicum quidem subjectum sit Θεός vel λόγος; sed prædicata sunt diversa, quæ de illo non eodem modo enunciantur. Nam prædicatum *primum*, quod est manifestatio in carne, concernit λόγον in se, qui carnem in suam ὑπόσχεσιν assumpsit: *secundum*, justificatio, pro diversa expositione competit λόγω, tum sui, tum carnis ratione: *tertium*, visio, dicitur de λόγω per ἰδιοποίησιν; *quartum* prædicatio; & *quintum* fides, λόγω incarnato, & utriq; naturæ competit. *Sextum*, ascensio, rursus λόγω per ἰδιοποίησιν, uti passio, tribuitur.

LXII.

III. De Persona Incarnata.

Fuerunt hæretici, qui personarum distinctionem à Trinitate sustulerunt, ideoq; & Patrem natum passumq; esse dixerunt: inter quos fuere *Sabelliani*, teste August. l. de hæres. cap. 41. & *Petrus Cnaphæus*, ut est apud *Nicephorum*, lib. 1. cap. 28. *Damascen.* l. 3. c. 10. & quidam *Clericus Gallus*, memorante *Anselmo*, l. de Incarn. Verbi, cap. 1. qui omnes ab errore suo, communi nomine dicti sunt *Patripassiani*. Horum vanitas, ut redarguatur plenius, tria in quaestionem veniunt, de quibus ordine.

LXIII.

*Circa personam in carnem natam quaeritur,
An solus Filius sit incarnatus?*

Quæritur I. An solus Filius sit incarnatus? Tota quidem Trinitas in λόγω incarnatione operata, sed non tota incarnata est. Nam Pater Filium misit, Galat. 4. v. 4. Spiritus S. super Mariam

Mariam venit *Luc. 1. v. 35.* & λόγος[Ⓞ] exclusus non fuit; ad eōq; omnes *Quod af-*
tres personæ benedictam Messiae carnem formârunt, unde *August. firmatur,*
Tom. 3. in Enchir. ad Laur. c. 38. Creaturam illam, quam virgo conce-
pit, & peperit, quamvis ad solam Filii personam pertinentem, tota Trinitas
fecit. Interim tamen hinc non sequitur, totam esse incarnatam; *;*
sed hoc proprium est solius filii, quod *Augustinus* illustrat quâdam
similitudine *ser. 3. de temp. Tria, inquit, Ars, manus, chorda: & tamen*
unus sonus auditur. Ars dicitur, manus tangit, chorda resonat; nec ars, nec
manus sonum reddunt, sed cum chorda pariter operantur. Sic nec Pater,
nec Spiritus S. susceperunt carnem; & tamen cum Filio pariter operantur.
Sonum sola chorda excutit; carnem solus Christus accepit. Scholastici
declarant similitudine *trium puellarum*, quæ junctæ unam vestem
texunt, sed eam uni tantum adaptant, ubi actio formandi & exte-
rius induendi est quidem communis omnibus, non tamen omnes,
sed una tantum, induitur, quia isthæc actio non in tribus, sed in
una ex tribus terminatur. Brevissimis igitur dici potest, *Incarnationem*
esse omnium trium personarum inchoative, ratione εὐδοκίας καὶ
ἰαυμαλῆς, ob decretum, & carnis productionem; sed termina-
tive solius filii, ob personalem istius carnis assumptionem. Hæc
verò thesis ex Scripturis, Conciliis & Patribus firmissimè probari
potest.

Nam (1.) Scriptura testatur, λόγον esse carnem factum, hoc est, Dei Filium: ideoq; vocatur Patris unigenitus, *Joh. 1. v. 14.*
Deum mundo dedisse Filium suum *μονογενῆ, Joh. 3. v. 16.* misisse Fi-
lium suum factum ex muliere, *Gal. 4. v. 4.* filium hominis esse Filium
Dei viventis, *Matth. 16. v. 16.* filium Dei participem factum esse car-
nis & sanguinis, *Heb. 2. v. 14.* Ex quibus omnibus patet luculentè, non
Patrem, non Spiritum Sanctum, quippe quibus assumptio carnis
nullibi assignatur, sed solum Filium esse incarnatum.

(2.) In Conciliis idem est definitum, ut in *Niceno & Chalce-*
donensi, Act. 5. in Lateranensi 1. Can. 2. & 7. in Synodo 5. gener. cap. 5.
& in Synodo 6. gener. Act. 4. Lombardus l. 3. Sent. dist. 5. l. A. ex Con-
cilio Toletano 6. hæc citat: Solus Filius accepit hominem in singularita-
tem personæ; non in unitatem divinæ naturæ, hoc est, in id, quod proprium
Filii, non quod commune est Trinitati.

Et probatur
ex scriptu-
ris,

Conciliis.

I

(3.) Patres

Et Patri-
bus,

(3.) Patres unanimi consensu id ipsum confirmant. Ignatius ad Philipp. Non Pater, non Paracletus; sed solus Filius ἐν αὐτῷ ὡμῶτες, August. Tom. 3. de Eccles. dogm. c. 2. Non pater carnem assumpsit, nec Spiritus Sanctus; sed Filius tantum, ut qui erat in divinitate Dei Filius, ipse fieret in humanitate hominis filius. Idem de fide ad Petrum, cap. 13. Firmissime crede, unam ex Trinitate personam, h. e. Dei Filium, secundum susceptionem formæ servilis in virgine conceptum, à virgine natum. Fulgent. l. de fide ad Petrum, c. 2. Sicut secundum illam divinitatem, quæ unum sunt Pater, & Filius, & Spiritus S. neq; Patrem natum credimus, neq; Spiritum Sanctum, sed solum Filium: Sic etiam secundum carnem Filium solum natum, Catholica fides, & credit, & prædicat. Vigiliius l. 1. p. 21. Susceptæ carnis dispensatio nec ad Patrem, nec ad Spiritum S. sed ad solum pertinet Filium. Damascenus l. 3. c. 5. Nullâ ratione communicavit Pater & Spiritus S. incarnationi Dei verbi, εἰ μὴ κατὰ εὐδοκίαν καὶ βούλησιν, nisi secundum acceptionem & voluntatem. Galatinus l. 3. cap. 16. hoc ipsum ex nomine ΠΝΥ. vel germen demonstrare vult, & inter cætera sic scribit: Sicut Messias erat verè germen Dei, i. e. Filius Dei secundum divinitatem; Ita futurus erat germen David, i. e. Filius David, secundum humanitatem.

LXIV.

Sed contrà objicitur: Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, & omnibus personis communia. Incarnatio est opus Trinitatis ad extra. Quare Incarnatio est indivisa, & omnibus personis communis. Resp. Triplicia sunt opera Trinitatis: (1.) Quædam purè interna & personalia, ut gignere, procedere, quæ divisa semper, nec singulis personis communia. (2.) Quædam sunt purè externa & essentialia, ratione initii & finis, ut mundum creare, conservare, gubernare, quæ indivisa, & omnibus personis ex æquo competunt. (3.) Quædam sunt mixta, & partim externa, partim interna, ideoq; diverso respectu & communia & propria. Tale mixtum opus fuit descensus & apparitio Spiritus Sancti, sub specie columbæ, Matth. 3. v. 16. & sub linguis igneis, Act. 2. v. 3. Columba illa, linguæq; sunt quidem ab omnibus personis productæ; non tamen omnes in iis apparuerunt, sed solus Spiritus S. Quare istud opus fuit commune, & externum, quoad productionem; fuit proprium & internum, quoad

ad

ad assumptionem. Idem de incarnatione λόγος statuendum est, quæ fuit opus commune & externum, respectu decreti & formatæ carnis in utero Mariæ; sed fuit opus proprium & internum, respectu assumptionis, quippe quæ non Patri aut Spiritui Sancto, sed filio soli competit; ideoq; inter opera Trinitatis mixta non immeritò refertur. Pater quidem & Spiritus S. non defuit majestate; solus tamen Filius suscepit carnem in personæ proprietate. Tota Trinitas humanitatem creavit; sed non tota assumpsit. Proinde quatuor sunt in argumento termini, siquidem major loquitur de operibus purè & ἀπλῶς externis; minor de opere tantum ex parte & ἡλεκτῶς externo.

LXV.

Quæritur II. Cur solus Filius, non Pater aut Spiritus S. incarnatus sit? Quanquam hoc ζήτημα videri potest magis curiosum, quàm fructuosum, quum sufficiat nobis voluntas Dei, nec liceat in causas divini decreti ἀπὸ γρηγορίας inquirere, Patres tamen pio studio collegerunt rationes nonnullas, quibus à posteriori voluerunt ostendere, conveniens fuisse, Filium non aliam personam incarnari. (1.) Ob renovationem; Ut ejusdem esset ἀνάπλασις, juxta Justinum, καὶ ἀνάκλισις, juxta Athanasium, cujus fuerat πλάσις καὶ κλισις, h.e. ut idem nos crearet, & recrearet; faceret & reficeret. Decebat eum, per quem omnia, ἀρχηγὸν σωτηρίας, authorem salutis fieri, ait Apostolus Hebr. 2. v. 10. Et idem innuit Johannes, c. 1. dum eum dicit carnem factum, v. 14. per quem omnia facta sunt, v. 3. (2.) Ob filiationem; Ut qui erat in divinitate Dei Filius, ipse fieret in humanitate hominis Filius, ne filii nomen ad alterum transfret, qui non esset æternâ nativitate Filius, August. Tom. 3. de Eccl. dogm. c. 2. ἵνα μὲν ἡ ἰδιότης ἀκίνητος, ait Damasc. 1. 4. c. 4. (3.) Ob ἰσοθεσίαν; Ut nos, qui naturâ eramus filii iræ, Eph. 2. v. 3. per Filium in filios Dei adoptaremur; quò respiciens Irenæus scribit 1. 3. c. 11. Filius Dei factus est filius hominis, ut & homo fieret Filius Dei. August. 1. 3. de Trin. c. 3. & serm. 3. de Nativ. Dom. Ut homo ex Deo nasceretur, primò ex ipsis natus est Deus. Oportuit enim ut per eum efficermur filii adoptivi, qui est filius naturalis. (4.) Ob amissæ imaginis restitutionem;

tionem; Ut is, qui est imago, Col. 1. v. 15. & Character Dei, Heb. 1. v. 3. amissam Dei imaginem nobis restitueret. Declarat hoc Athanasius venustâ similitudine, in l. de Incar. verbi Tom 1. p. 47. *Uti, inquit, forma aliqua in tabulis depicta, sordibusq; aliunde superinjectis, oblitterata, instaurari nequit, nisi ejus presentia adhibeatur, ad cujus imaginem primitus tabella depicta fuit; Eodem modo ille undiquaq; bonus Pater Filius, imago & character Patris ad nostras regiones profectus est, ut hominem ad sui similitudinem factum denuò reficeret.* Lombardus l. 3. dist. 1. B. *Hæc est mulier Evangelica, quæ accendit lucernam, & drachmam, quæ perditâ fuerat, reperit, sapientia scilicet Patris, quæ testam humanæ infirmitatis lumine suæ divinitatis accendit, perditumq; hominem reparavit, nomine Regis & imagine insignitum.* Ambrosius in Ps. 110. octon. 10. *Imago (verbum Dei) ad eum, qui est ad imaginem, (id est, hominem,) venit, & querit imago eum, qui est ad similitudinem sui, ut iterum signet, ut iterum conformet, quia amisisti, quod accepisti. (5.)* *Ob vitæ & gratiæ reductionem; Ut is, qui vitæ & lux hominum erat Joh. 1. v. 14. vitam lucemq; hominibus redderet, & quia gratiâ erat plenus, Joh. 1. v. 14. nos in gratiam Dei Patris reduceret.* Pulchram allegoriam, quòd vita non nisi per Christum sit restituta, vide apud Barradium, Tom. 1. p. 186 E. (6.) *Ob mediationem; Ut qui media erat persona in Trinitate, fieret inter Deum & homines mediator.* Magis decet, personam mediam tenere rationem mediatorum, quàm aliam, scribit Bonaventura, in 3. dist. 1. art. 2. q. 3. fol. 15. b. (7.) *Ob Evangelii revelationem; Ut qui erat æternus λόγος, & sapientia Patris, voluntatem ejus & sapientiam nobis revelaret.* Hanc rationem attigit Clemens Alexandrinus in orat. adhortatoria ad gentes, non longè ab initio, Basilus, hom. de principio Evangelii Johannis in fine, & August. l. 15. de Trin. c. 11. scribens: *Verbo rerum ignari docentur. Verbi E. erat homines rerum divinarum imperito docere. (8.)* *Ob missionem; Ut ita gignens mitteret genitum, non contrà genitus gignentem, qui à nullo est.* Lombardus, l. 3. dist. 11. B. *Filius missus est, & non Pater, quia congruentius mitti debebat qui est ab alio, quàm qui à nullo est. (9.)* *Ob amoris declarationem, ut Deus Pater summam cordis sui Φιλαθρωπία ostenderet, quod melius expediri non poterat, quàm per unigeniti missionem in mundum, unde August. l. 10. de Civ. Dei c. 29. Gratia Dei non pote-*

tat

rat gratius commendari, quàm ut ipse unicus Dei Filius hominem indueret,
& spem dilectionis suæ daret hominibus.

LXVI.

Quæritur III. An ipsa λόγος natura divina rectè di- Et an ipsa
catur incarnata? Patres tali modo loquendi non infrequenter λόγος na-
uti sunt. Damasc. l. 3. c. 6. hæc Dionysii verba citat: Θεότης ὀλικῶς tura di-
ὀμῖν ἐν μία τῶν ἐαυτῆς ἐκοινῶνησεν ὑποστάσεων, Omnis & perfecta na- vna rectè
tura Deitatis in una ejus hypostasi incarnata est. Sic Athanasius & Cy- dicatur in-
rillus dicunt: ἢ ὁ Φύσιν τῆς λόγος σεσαρκῆσθαι, naturam Verbi esse in- carnata?
carnatam. Lombardus; l. 3. dist. 5. l. A. ex Augustino citat hanc senten-
tiam: Summa divinitas, humanitatem sibi unitam gerit. Epiphanius l. 1.
Tom. 3. scribit: Humanitatem cōunitam τῇ Θεότητι vel Deitati. Ful-
gentius l. de fide ad Petrum. c. 2. Illa natura, quæ semper genita ma-
net ex Patre, naturam nostram sine peccato suscepit, ut nasceretur ex vir-
gine.

Ex adverso sunt, qui asserere nolum, ipsam naturam divinam
assumisse carnem. Periculosa est phrasis, scribit Danaus in Exam.
Chemnit. c. 4. p. 82. Divina natura filii, seu quæ est in filio, naturam no-
stram assumpsit; Et Sohnius art. 3. p. 192. Filius solus factus est homo, non Pa-
ter aut Spiritus S. atq; ita persona Filii, non natura divina, si propriè loqui
volumus. Eadem mens est Bellarmini l. 3. de Christo, cap. 8.

Verùm unicâ distinctione res omnis componi potest. Natura
divina consideratur dupliciter (1.) ἀπὸ λῶς vel absolutè, prout com-
munis est omnibus in Trinitate personis. (2.) σχετικῶς vel relatè,
quatenus certo caractere limitata, & ad certam personam restri-
cta est. Eadem quidem omnium trium personarum est essentia;
quia tamen ipsæ differunt realiter, hinc fit, ut ἰσῖα in personis con-
siderata, peculiari τρόπῳ ὑπάρξεως quasi limitetur, & in Patre
sit, vel esse dicatur ἀγνήτως; in Filio ἡρηλῶς, in Spiritu S. ἐπορ-
ῶτως, unde Patres Græci personas Trinitatis non συνσίγς, non
ταυσιγς, sed ὁμοσιγς vocârunt, notante Chemnitio l. de D. N.
c. 2. Jam ut hæc accommodemus ad præsens ζήτημα, dicimus, di-
vinam quidem naturam esse incarnatam, (1.) quia λόγος est in-
carnatus, qui sine natura divina non est λόγος & in quo persona
& natura realiter non differunt. (2.) quia ipsam Scripturam habe-

mus, praeuntem, quae in Christi corpore dicit habitare non modo λόγος in concreto, sed omnem quoque Deitatis plenitudinem in abstracto, Col. 2. v. 9. & (3.) quia Patres ab illa phrasi minimè abhoruerunt, & (4.) quia dulcissima consolatio nobis aliàs eripitur, quam haurimus inde, quòd scimus, nostram naturam, à Deo ob peccata diuisam, penitissimè rursus divinæ naturæ unitam esse: Neque salus nostra foret certa, si divina natura ex unione hypostatica eriperetur; Haut tamen inde colligi vel potest vel debet totius Trinitatis incarnatio, quia non ἁπλῶς, sed ἁπλῶς sumpta, non essentia communis, sed essentia Filii, quae limitatè accepta communis non est, incarnata dicitur. Hinc rectè docuit Dionysius, totam quidem Deitatem vel divinam naturam esse incarnatam, verum non in omnibus personis, sed in una tantum, nempe Filii persona. Ita Thomas declaravit, par. 3. quæst. 4. art. 3. *Dicitur tota natura divina incarnata, non quia sit incarnata in omnibus personis; sed quia nihil deest de perfectione naturæ divinæ personæ incarnatæ.* Schegkiius hoc simili quodam illustrat. l. i. contra AntiTrin. p. 51. ita scribens: *Necesse non est, si dulcedo & candor Saccari, quoad ἁπλῶς & subjecto sunt unum aliquid, si dulcedo afficiat linguam, ut candor etiam afficiat eandem. Ac si anima est una numero & essentiâ, ob id necesse non est, si vegetatrix & sentiens corpus informant, ut mens etiam corpus aut aliquam partem corporis informet.*

L X V I I.

Quibus ita explicatis, facilimum est respondere ad quorundam argumentum, quando hunc in modum colligunt: *Tota Natura divina idem est, quod tres personæ Trinitatis. E. hæ omnes sunt incarnatæ.* Resp. Quatuor hinc sunt termini, quia major loquitur de divina natura ἁπλῶς; minor de eadem ἀπλῶς sumpta, unde nulla est consequentia. Tota quidem divina ἁπλῶς est incarnata, sed duntaxat in filio, quia simplicissima quum sit, tota est in unaquaque persona, non secus ac tota descendit in Spiritu S. & tota locuta est in Patre dicente, *Hic est filius meus dilectus*, Matth. 3. v. 17. nec tamen hinc sequitur, omnes tres personas vel descendisse vel locutas esse.

L X V I I I.

Tandem pro meliori hujus problematis intellectu & hoc notandum

tandum est, quòd persona & divina natura Filii non sit eodem modo incarnata; sed illa ἀμέσως vel immediatè, hæc ἐμμέσως vel mediatè. Licèt enim non realitèr nostro tamen concipiendi modo illa duo differunt. ideoq; personam primò, naturam consequenter incarnatam esse dicimus, juxta *σχιχέιον* illud Theologicum: *πρώτως ἢ ἀμέσως* in persona τῆς λόγου ἐπομένως ἢ ἐμμέσως in divina ejus natura facta est incarnatio. Videatur *Hunnius* in assert. contra *Pezelium*, p 132. Apparet hinc, *Danaum*, frustra & temerè taxasse *Chemnitium*, ob phrasin istam, quum Patrum sit, & nullum periculum inferat, si rectè explicetur, quod & agnovit *Zanchius*, l. 2. de incar. c. 3. q. 1. th. 2. p 84. qui fatetur, idem dici, sive quis naturam τῆς λόγου, sive λόγον ipsum dicat incarnatum, eumq; in finem citat dictum hoc *Damasceni*: *Φύσιν τῆς λόγου λέγοντες αὐτὸν τὸν λόγον σημαίνομεν.*

LXIX.

IV. De tempore factæ Incarnationis.

Non in principio mundi factam, non ad mundi finem dilatam, sed *in medio*, vel potius *circa finem* peractam esse λόγου incarnationem, scimus ex sacra historia; ejus consilii rationes licèt non sint in Scripturis expressè positæ, quodammodo tamen sunt insinuatæ, & à Patribus orthodoxis evolutæ plenius, unde illas paucis placet repetere.

LXX.

Quòd in principio mundi λόγος non est incarnatus, factum putatur ideò, (1.) Ut homines diuturnioribus malis conflictati, magis agnoscerent infirmitatem naturæ suæ, & ardentius clamarent ad Medicum. Notitia enim peccati, est initium salutis, juxta *Bernardum*. Ut igitur naturalis hominum depravatio melius innotesceret, missionem Filii sui distulit Deus, multisq; exemplis, tum generalibus tum specialibus, ante legem, & sub lege iram suam, ob peccatum conceptam, manifestavit, quò homines suis meritis diffidere, & spem omnem in futurum

4. Tempus incarnationis, ubi afferuntur cause,

Cur adventus filii Dei non contigerit primo mundi tempore,

rum

rum ponere Messiam discerent. Tangit hanc rationem glossa in c. 3. ad Gal. ubi hæc verba : *Magno Dei consilio factum est, ut post hominis casum non ilico Dei filius mitteretur. Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrii, in lege naturali, ut sic vires nature sue cognosceret, ubi quum deficeret, legem accepit : quâ datâ, invaluit morbus, non legis, sed nature vitio ; ut ita cognita suâ infirmitate clamaret ad Medicum, & gratiæ quæreret auxilium.*

(2.) Ut prius exercerentur in fide promissionum de futuro Messia. Statim enim post lapsum promissum est semen benedictum, *Gen. 3. v. 15.* sed dilatum est complementum, *partim* ut præsentium fides exploraretur ; *partim* ut sequentium fides de aliis futuris confirmaretur. Ita enim vult nos Deus arguentari : *Si post promissionem Adæ factam, aliquot mille anni effluerunt, & tamen Jehovah præstitit tandem, quod promiserat, utique, licet etiamnum differat tum auxilium, tum adventum gloriosum, certò tamen veniet, & omnia promissa complebit.* Sic igitur à complemento unius promissionis plurimum roboratur fides nostra de complemento alterius.

(3.) Ut Deus homines evidenti exemplo assuefaceret ad mores suos, qui cum mora plerumq; conjuncti. Nec enim semper in principio malorum affert auxilium, sed sæpius differt. Noachus per integrum annum in arca doloris sedit conclusus. Abrahamo promissum fuit semen, sed primum in senectute datum ; promissa seminis multiplicatio ; sed lento passu insecuta est. Josepho in somniis promissa erat exaltatio super fratres, sed diu dilata, & prius exulandum, serviendum, in carcere morandum fuit. Israëlitaë possidere debebant terram Canaan, sed antea per aliquot secula in Ægypto laborandum, post educationem per quadraginta annos in deserto circumvagandum fuit. Sic è captivitate Babylonica non nisi post 70. annos educti sunt Judæi, & Christus ad discipulos venit non primo resurrectionis tempore, sed vesperi. Hos mores morasq; Dei ut patienter ferre discerent pii, ideò complementum promissionis primæ tam diu differre ille voluit.

(4.) Ut

(4.) Ut ab imperfecta ratione legis tum naturalis, tum Mosaicæ traduceretur genus humanum ad perfectionem doctrinæ Evangelicæ. Hic enim docendi ordo optimus est, ut ab imperfectioribus ad perfectiora, à generalibus ad magis specialia tendamus. Idem ergo observavit Dominus, & prius in typis, ritibusq; legalibus exercuit homines, ut postmodum ad percipiendum Evangelii mysterium magis præparati essent. Hinc lex pædagogus noster ad Christum fuisse dicitur, *Gal. 3. v. 24.* Præmittuntur elementa literarum Grammatica, antequam proponatur realis & plena disciplina: Sic in elementis, uti legales typi vocantur *Gal. 4. v. 9. Col. 2. v. 8.* informati sunt homines, priusquam sublimis Evangelii doctrina proponeretur.

(5.) Ut ob longam expectationem & præconum seriem, pluris fieret adventus Messiaë, & summum redemptionis beneficium. Quæ enim diutius sperantur, postmodum gratiora sunt, juxta vulgatum illud: *Hora Dei sunt tarda, sed valde grata.* Ægrotus, si statim illi restituatur sanitas, neque tanto gaudio perfunditur, neque adeò æstimat Medici curam, quàm si serò. Et majori cum reverentia suscipitur Princeps, quem diutius expectârunt subditi, & prænunciârunt ministri, quò spectat illud Augustini, tract. 31. in Joh. *Quantò major Judex veniebat, tantò præconum series longior præcedere debebat.*

(6.) Ne tam citò inciperet hominum fides & gratitudo post Messiaë adventum tepescere, sicut est futurum, maximè circa finem mundi, ut prædictum *Matth. 24. v. 12.* Ut enim homines ante beneficium, quod anxie expectant, sunt humiles & devoti; sic post acceptum plerumq; sunt ingrati. Quò igitur citius venisset Messias, eò major & longior futura fuisset hominum ingratitude.

(7.) Ut peccati gravitas magis exaggeraretur. Quia enim Deus tantos clamores & latus hominum, tanto tempore sustinuit, antequam filium in mundum mitteret, promptum inde colligere est, quantopere irascatur peccato, siquidem illud in causa fuit, quòd suam à nobis Deus avertit gratiam.

K

71. Porro,

Et cur ille non dilatus fuerit usq; ad ipsum mundi finē, Porro, quòd adventus λόγος non est diutius usque in mundi finem dilatus, id *partim* propter Deum, *partim* propter nos factum est. Propter Deum duplici de causa: (1.) *Ut suam Φιλαθρωπία* ostenderet, & homines à miseriis, à jugo legis, à diuturnæ expectationis angoribus tandem liberaret: (2.) *Ut veritatem suam ipso declararet opere*, & promissiones de Messia, statim post sceptrum Judæ ablatum, & hebdomadas Danielis venturo, in actum deduceret. Propter nos id contigit (1.) *Ut plures* per concionem Evangelij de λόγω incarnato possent converti & salvari: (2.) *Ut fides hominum* tum aleretur, ne deficeret, si longior fuisset mora; tum auferretur, per pleniorē cognitionem, Novo Testamento reservatam. (3.) *Ut firmam futurae* hæreditatis spem conciperemus, quippe scientes, Christum per actiā redemptione sedere ad dexteram Patris, & nostro etiam nomine cælum possidere. (4.) *Ut sincera* dilectio in nobis magis magisq; accenderetur, quia æquum est, ut redamemus amantem λόγος, qui propter nos & nostram salutem descendit, tamq; acerbam mortem passus est. (5.) *Ut studium* pietatis & sanctitatis eò melius in nobis excitaretur. Per nimis longam enim dilationem, mores hominum facilimè potuissent depravari, sicut & apud plurimos depravati sunt. Quare opus erat venire Messiam, qui tum exemplo, tum præceptis vitam hominis reformavit, & multorum corda pietatis ardore inflammavit.

LXXII.

Sed contigerit in media etate, vel circa mundi finē. Peracta igitur est incarnatio λόγος in *medio temporis*, vel in *media mundi etate*, non secundum supputationem Mathematicam, sed historicam & vulgarem, ubi omne id vocatur medium, quod inter principium & finem interjacet, licet ad ipsum finem quodammodo vergat, quale fuit etiam tempus incarnationis, quippe quod ad mundi senectam proximè accessit, unde nominatur finis seculi, 1. Cor. 20. v. 11. novissimum tempus, Hebr. 1. v. 1. novissima hora, 1. Job. 2. v. 18. Et sanè tum fuit omnium commodissimum, Messiam inchoare regnum suum, quia jam erat sceptrum de Juda ablatum, malitia Judæorum pervenerat ad summum, doctrinæ reformatione erat maximè opus; magnus inter gentes electorum numerus, spes

Spes ferè omnis de ipsius adventu abjecta; ideoq; velut *ὑπὸ μνηστέρῳ* apparuit, & suam tum justitiam erga contumaces Judæos; tum misericordiam erga rejectos gentiles ostendit, sicut olim contrà, semen Abrahæ ex gratia recepit, & Ethnicos ex justa ira, ob contemptum verbi, in tenebris ignorantiaë reliquit. Differit de illa temporis congruentia *Gregorius Nyssenus*, in orat. de Nat. Christi, & inter cætera sic scribit: *Quòd extremis temporibus Dominus apparuerit, hanc meritò fortasse causam quispiam existimabit, quòd qui malitiam ut tolleret, humanam vitam ingressurus erat, expectavit necessariò, ut omne ab inimico sanatum propagatumq; peccatum germinaret, ac tum demum, ut legitur in Evangelio, radici securim admovit.* Illustrat hoc exemplo *prestantis Medici*, qui vehementiorem medicinam non adhibet, donec morbus ad summum pervenerit.

LXXIII.

V. De vera Incarnationis definitione.

Dari ea potest gemina, tum brevior & essentialis, quæ constat genere & differentia; tum plenior & causalis, quæ non tantum formam exprimit, sed omnes causas, & consequentia simul commemorat.

s. Incarnationis definitio,

Si brevioris quis desiderat, hanc ponimus: Incarnatio est divina & supernaturalis actio, quâ æternus Dei Filius, naturam humanam integram & sanctam, ex singulari adventu Spiritus sancti in utero virginis Mariæ formatam, in unitatem suæ *ὑπόστασις* sine confusione assumpsit, atque ita verus homo factus est, ut jam in duabus naturis, divina & humana, personaliter & indivulsè copulatis, subsistat. In hac definitione exprimitur (1.) genus, quod est actio, sed divina, ob authorem Deum, & supernaturalis, ob singularem modum, (2.) differentia specifica, quæ describitur ratione (1.) assumentis, qui *λόγος*. (2.) assumptæ nature, quæ humana, miraculosè producta. (3.) modi, qui est humanitatis ad constituendum unum *ὑπόστασις* inconfusa & indivulsa

Quæ potest dari tum brevior,



assumptio. Hinc *Athanasius* rem omnem brevissimè declarat in suo symbolo, dicens; ἐνσάρκωσιν vel Incarnationem λόγος nihil esse aliud, quam *πρόσληψιν ἀνθρώποτητος εἰς θεότητα*; assumptionem humanitatis in divinitatem, vel in Deum, uti vertit Latinus interpres.

LXXIV.

Tum paulò
plenior,

Si pleniorē quis expetat, talem dare possumus: Incarnatio λόγος, est divina & supernaturalis actio, quā secunda Trinitatis persona, æternus λόγος, veram integramq; sanctam tamen & peccato carentem humanam naturam, obumbratione Altissimi, & superveniente Spiritu Sancto in utero Mariæ virginis ex semine Davidis, sine virili semine productam, absq; omni naturarum & proprietatum confusione, inseparabili copulatione, ad constituendum unum ex illis & in illis duabus naturis ὑφιστάμενον, in unitatem suæ personæ, novissimis mundi temporibus assumpsit, atque ita verus homo factus est, ut se humiliando, Patri obediendo, & in cruce moriendo, peccata nostra expiaret, Patrem reconciliaret, cunctosq; per fidem iustificatos & sanctificatos ad æternam in cœlo gloriam perduceret: Quam incarnationem secuta est tum naturarum; tum proprietatum realis quidem, non tamen physica, sed personalis communicatio, quā propria unius naturæ prædicantur de tota persona, & officia utrique naturæ tribuuntur; præcipuè verò assumpta caro non tantum finita & incomprehensibilia, sed verè infinita dona accepit, quæ tempore exinanitionis non semper exeruit, ad eorum verò plenariam usurpationē, per collocationem ad dexteram Dei Patris exaltata fuit. In hac descriptione ponitur (1.) *genus*, quòd sit actio divina & supernaturalis. (2.) *Causa efficiens* vel assumens, nempe λόγος æternus. (3.) *Causa materialis*, vel natura assumpta, quæ

quæ est vera humanitas. (4.) *Hujus nature singularis ratio*, consistens tum in sanctitate absque peccato; tum in miraculosa conceptione in utero virginis, operante Deo. (5.) *Causa formalis* vel modus, qui est carnis sine confusione & separatione in *ἁπόσειν λόγῳ*, ad unum *ὁμοειδὲς* constituendum assumptio. (6.) *Causa finalis*, quæ in genere est peccatorum expiatio & Patris reconciliatio; in *specie*, credentium justificatio, sanctificatio, glorificatio. (7.) *Consequentia*, quæ sunt *naturarum communicatio*, propter quam homo dicitur Deus, & contrâ; *Idiomatum communicatio*, per quam propria alterutrius naturæ prædicantur de tota persona; *officiorum communio*; *humane nature majestas* & *evectio*, non tantum quoad dona finita; & gratias habituales; sed cum primis quoad dona verè infinita & increata, quorum *κτῆσιν* habuit caro in statu exinanitionis; *ἁγῆσιν* verò accepit per statum Exaltationis.

LXXV.

MEMBRUM IV. & Ultimum.

DE IPSA ΔΟΓΜΑΤΙ ET CARNIS UNIONE
PERSONALI.

Ante omnia hîc explicandum venit *nomen Unionis*; Deinde demonstrabimus, quòd *duæ* in Christo Naturæ, divina & humana, personaliter sint unitæ; post veram unionis personalis rationem inquiremus, & tandem *meditatione quadam practica* concludemus.

LXXVI.

I. De Vocabulo Unionis

Uniri nihil aliud est, quàm copulari; ideoq; unio est *plurium rerum copulatio*, quâ illæ sunt aut fiunt unum, in qua conjunctione semper quinque sunt spectanda; (1.) *Unienda*, vel res, quæ jungi & copulari debent, ubi ad minimum duo convenire necesse est, quum unum sibi ipsi non dicatur uniri. Sic in unione personali concurrunt duæ naturæ, divina *λόγῳ*, & humana in utero Mariæ concepta. (2.) *Actus*, quo plura unum fiunt, nonnulli vocant *Unionem*, quæ est actio unientis; per quam plura sociantur & copulantur. Sic unio *λόγῳ* & carnis fuit ipsa incarnatio, in momento facta; per quam *λόγῳ* carnem in utero Mariæ conceptam as-

Circa mysterium unionis personalis quatuor sunt consideranda;
1. *Vocabulū Unionis.*
Ubi ostenditur, quid sit uniri, & quæ in quavis unione sint attendenda.



sumsit, sibiq; assumendo protinus univit. (3.) *Status unionem consequens*, qui nihil aliud, quàm plurium semel unitorum cohæsiō & durans conjunctio, quæ propriè vocatur *unio*, unde inter hanc & unionem ipsam quoddam esse discrimen apparet. Nam *unio* est actus uniendi, qui transit; *unio* est status unitorum, qui durat & consistit. Ita unio λόγος & carnis est perpetua, quia semper in tali statu sunt & erunt, ut, invicem copulata maneant. (4.) *Unitas*, quæ ex duabus unitis oritur. Quoties enim plura copulantur, semper ex iis fit aliquod unum, sive jam sit unum naturâ, sive supposito, sive personâ. Sic ex unione λόγος & carnis resultat unitas personæ Christi. Ita enim copulatur λόγος & caro, ut inde fiat una persona. (5.) *Modus & unionis & unionis*, qui limitat & distinguit, qualium modorum à variis variè referuntur, quoniam diversa eorum dantur fundamenta.

LXXVII.

Simulq; exponuntur
varii modi
unionis qui
possunt distingu
Ratione
originis,

Nam distinguuntur. I. *Ratione originis vel principis*, quod est vel natura, vel voluntas, unde unio dicitur alia *naturalis*, alia *voluntaria*. *Naturalis* est, quæ vi naturæ existit, qualis est, (1.) *unio principalis in Trinitate*, quæ oritur ex perfectione divinæ Naturæ. (2.) *essentialis* inter corpus & animam. (3.) *unio κατὰ περιχώρησιν*, quando ignis ferrum permeat. *Voluntaria* est, quæ fit consilio & arbitrio Entis intelligentis, nempe Dei, Angelorum, hominum. *Dei arbitrio* fit (1.) *Unio personalis* in Christo. (2.) *Sacramentalis* in Baptismo & Coena. (3.) *πνευματική* vel *spiritualis*, quâ Deus unitur cum sanctis. *Angelorum arbitrio* fit (1.) *unio socialis*, quâ invicem conspirant. (2.) *unio κατὰ δόκησιν*, quando cum corporibus, quæ assumunt ad tempus, uniuntur. Quæ fit *arbitrio hominis*, illa fit arbitrio vel unius, ut *virtualis*, quando quis suum cor unit & colligit, ne per diversa effluat; vel duorum, ut mariti & uxoris, quæ vocatur unio *carnalis*; vel plurium, qui vel uniuntur, vel uniunt. *Ibi* est unio personarum, *hic* rerum, utraque tamen ab hominis arbitrio dependet. Quum homines sibi uniuntur invicem, fit illud vel externè per nudam *ἁρμόσειον*, & quoad corpora; vel internè, *κατὰ ὁμόνοϊαν*, & quoad consensum animorum, quæ unio vel est *ἡφικη*, qualis inter amicos; vel *μουσική*, qualis inter omnes fide-

fideles. Quum homines uniunt, & res diversas copulant, vocatur unio illa artificialis, & fit vel *κτ̄ μεταβολῶν*, vel *ωδῶδεςιν*, vel *σῶρεν*, vel *σύγχυσιν*, vel *σύγκρησιν*, vel *ἀνάκρησιν*, vel juxta insitionem, quum surculus inseritur arbori.

II. Ratione unitorum, quia unio fit (1.) *ex pluribus integris*, quæ manent in composito, nec permutata, nec permista, sicut arca tabernaculi ex auro & lignis Cedrinis constituebatur. (2.) *ex perfectis transmutatis*, quæ in composito non manent, quod erant, sicut ex elementis pluribus fit mixtum, quò etiam spectat *Φυρεῶς, σύγχησις, σύγκρησις*. (3.) *Ex imperfectis non mixtis*, non permutatis, ut quum ex membris fit corpus; ex anima & corpore fit homo.

III. Ratione modi, qui multiplex Datur enim unio *extraordinaria vel supernaturalis*, ut in Trinitate, in Sacramentis, in fidelibus; *vel ordinaria, & vulgaris*, quæ rursus est *vel naturalis*, & fit generatione, mixtione, immeatione, subjecti & accidentis concursu; *vel artificialis*, quæ fit per commassationem, conferruminationem, confusionem, coacervationem, &c. *vel moralis*, quæ fit per consensum & animorum conpirationem &c.

IV. Ratione termini. Quæ enim uniuntur, uniuntur *vel ad unam naturam*, ut anima & corpus; *vel ad unum suppositum*, ut ignis & ferrum; *vel ad unam formam accidentalem*, ut subjectum & accidens; *vel ad unam personam*, ut *λόγος* & caro Christi.

V. Ratione modi & termini simul, quæ distinctio videtur omnium perfectissima, siquidem hoc pacto omnes species includi possunt. Dicimus ergo, unionem esse *vel extraordinariam & supernaturalem*, *vel ordinariam & communem*. *Supernaturalis* alia *extra* est, *vel personarum*, *vel naturarum*, *vel rerum*. *Personarum* est *ordinaria*, quadruplex: (1.) *Principalis*, per quam tres personæ Trinitatis unum sunt. Alii vocant *substantialem*, quia tres illæ personæ sunt una & individua substantia. (2.) *Socialis*, per quam Angeli & beati in cælo conspirant. (3.) *Spiritualis* vel *ωρεσωπικη*, quâ Deus cum fidelibus, fideles cum Deo uniuntur, juxta illud I. Cor. 6. v. 17. *Qui adha-*
ret

vel Domino, unus cum eo Spiritus est. Græci vocant unionem *κτ̄ μς-
 τοχβδ̄, ἢ χάριν.* (4.) *Ecclesiastica,* Bernardus vocat *mora-*
lem, Græci *ένωσιν καὶ ὁμόνοϊαν,* quâ fideles propter unitatem Spiritus &
Vel natura- mentis in corpore mystico unum sunt. *Unio* *ἑσπεροϋσικῆ* *natura-*
rum, *rum* est *singularis* ille, & singulariter admirabilis concursus divinæ
 & humanæ naturæ in Christo. Vocamus autem unionem *perso-*
Vel rerum, *nalem,* quia naturæ illæ concurrunt, ad unam personam consti-
 tuendam. *Unio supernaturalis rerum est,* quando duæ res ex singula-
 ri ordinatione divina copulantur, id quod fit in *Sacramento,* præ-
 fertim in Cœna Domini, uti res terrestres, panis & vinum, cum re
 cœlesti, corpore & sanguine Christi, mysticè copulantur, unde &
 unio illa *Sacramentalis* dicitur.

LXXVIII.

Alia ordi- Porro unio *ordinaria* & communis, ferè in omnibus prædica-
naria, mentis datur, quia *τὸ ἐνὸς* vel unius eadem est partitio, quæ *τὸ ὄν-
 τος* vel entis, siquidem *τὸ ἐν καὶ ἓν* convertuntur. Ut ergo omne
 Ens *vel* est substantia, *vel* accidens; sic omnis unio *vel* fit in sub-
 stantia, *vel* in accidente, unde nonnulli dicunt illam *substantialem,*
Et partim hanc *accidentalem.* *Unio substantiarum* fit *vel* ad unum suppositum,
substantia- *vel* ad unam naturam. *Ad unum suppositum* uniuntur, quæ (1.) *κατὰ
 lis,* *ὑπερῶσιν* *vel* per immeationem uniuntur, quod cum primis fit
Vel ad unū in ferro ignito, ubi ignis copulatur cum ferro, & hoc ipsum undi-
suppositum, quaque penetrat. (2.) *κατὰ ἐμϋτεϊαν,* per infitionem uniuntur,
 ut quum ex surculo & arbore, cui insertus est ille, fit unum suppo-
Vel ad unā situm. *Ad unam ῥοϊαν* fit unio diversimodè, & est 1. *Metaphysica,*
ῥοϊαν. quâ ex esse & essentia, ex actu & potentia unum dicitur constitui.
 2. *Logica,* quâ ex genere & differentiâ constituitur una substantia
 secunda, nim. species. 3. *Physica,* per quam fit unum quoddam phy-
 sicum. Et ista rursus, *vel* est *Φαινόμενη* seu apparens, *vel* *ἀληθινή*
 seu vera. *Unio ad unam naturam Φαινόμενη,* est illa, quæ intercedit
 ad tempus spiritibus, cum corporibus assumtis, ubi apparet, ac si
 ex Spiritu & assumpto corpore facta sit una quædam natura, quum
 tamen nihil minus factum sit, ideoq; nuncupatur *ένωσις κτ̄ δόκη-
 σιν,* unio putativa seu imaginaria. Talem videntur in persona Chri-
 sti unionem statuisse Manichæi, qui *λόγον* cum humano corpore
κτ̄ δόκησιν

καὶ δόκησιν unitum fuisse delirârunt. Potest insuper hæc unio nun-
 cupari ὁμοφυλική vel καὶ ὁμοφυσίαν, secundum assistentiã, quoniã
 Spiritus tum assistit tali corpori, sicut & Deus assistit fidelibus. *Unio*
ad unam naturam ἀληθινὴ vel vera, fit (1.) καὶ γέννησιν vel per genera-
 tionem, quando duo imperfecta sine abolitione aut confusione,
 ad constitutionem unius essentiæ uniuntur, adeo que compositum
 generatur, qualis est unio inter materiam & formam, inter corpus
 & animam: Patres græci vocant ἐνωσιν καὶ ἕσιν; Latini *essentia-*
lem vel naturalem. (2.) καὶ διαφθορὰν ἢ ἀναίρεσιν per corruptionem
 & destructionem, quando ea, quæ ad constitutionem unius natu-
 ræ uniuntur, simul corrumpuntur, ut quum ex duorum pluriumve
 elementorum corruptione unum mixtum producitur. *Nyssenus*
 hanc unionem fieri dicit *alteratione*, quoniam in mixtione ele-
 menta corrumpuntur quidem quoad formalitatem, sed alteran-
 tur tantum, quoad qualitates. (3.) καὶ μεταβολὴν ἢ ἴσσησιν, per con-
 versionem, quando alterum eorum, quæ uniuntur, vel aboletur vel
 absorbetur, vel in alterum convertitur, ut quum modicum aquæ
 vino multo miscetur, vel quum quædam guttulæ vini in Oceanum
 effunduntur, ubi mox absumuntur penitus. *Athanasius* vocat u-
 nionem συγχυτικὴν vel confusivam. *Nyssenus* unionem, quæ fiat
 mixtione, nimirum arbitrariã, non naturali; qui tamen termini
 ab aliis Patribus alio modo usurpantur, uti jam dicemus. (4.) καὶ
 σύγχυσιν ἢ μίξιν, per confusionem, generatim sumtam, vel mixtio-
 nem, cujus tria genera constituuntur à græcis, (1.) καὶ Φυρμόν vel
 commassationem, quum ex aqua & diversis farinis fit unus panis.
 (2.) καὶ κρησίν vel σύγκρησιν per justam contemperationem,
 ut quum ex aqua & melle fit mulsum, vel quando alii humores mi-
 scentur, velut in pharmacopoliis fieri consuevit. (5.) καὶ σύγχυ-
 σιν, specialiter sic dictam, quando sine justa temperatura ex duo-
 bus mixtis & confusis, fit aliquod tertium, ut quum ex pipere &
 cinnamomo contusis fit quasi tertium genus aromatis, vel ex auro
 argentoque quasi novum genus metalli constituitur.

LXXIX.

Unio autem accidentalis vel est accidentium, quatenus illa uni- *Partim ac-*
 untur cum suis subjectis, ut quando ex homine & doctrina fit u- *cidentalis.*
 L num,

Et vel ab-
soluta,

Vel respec-
tiva,

num, nempe homo doctus; vel fit modo accidentali, aut respectu certi accidentis, ubi unienda sunt quidem substantiæ, sed non ununtur ad unam substantiam vel naturam, verum ad unam formam accidentalem. Talis unio fundatur vel in accidente absoluto, vel in respectivo; unde & ipsa vel absoluta, vel respectiva dicitur. Unio accidentalis absoluta, vel in quantitate est, vel in qualitate. Quæ in quantitate, rursus vel fundatur ἐν συνεχῆι ποσότητι in quantitate continua, vel ἐν διασπορῇ in discreta. Unio in quantitate continua præcipuè fit κατὰ σύναψιν, juxta contactum corporalem, cujus distincti rursus modi enumerantur; ut (1.) κόλλυσις *conglutinatio*, quum diversæ tabulæ ἢ κέλλα, vel glutine in unam mensam, conglutinantur. (2.) παράθεσις *appositio*, quum duo asseres, duæ massæ metallicæ se invicem arctè attingunt; (3.) σύμφυσις, *concretio*, quando furculi inserti, rami, truncus, radix, in unam continuam arborem concretescunt. Sic omnia corpora in mundo propter contactum, unum continuum universitatis corpus absolvunt. Unio in quantitate discreta fit (3.) κατ' ἄξιν, per coacervationem, ut quando multa grana in unum cumulum miscentur & coacervantur. (2.) κατ' ἄξιν, per concentum, quando multæ voces unum concentum absolvunt. (3.) κατ' ἄξιν, per impositionem, ut quum ligna in struem construuntur, vel multi lapides in ordinem collocantur. (4.) κατ' ἄξιν, per compositionem, quum ex lignis & lapidibus multis una domus exstruitur. Unio in qualitate est, quæ fundatur in summa consensione, & voluntatis identitate, qua de causa vocatur κατ' ὁμόνοιαν ἢ ταυτοβελίαν. Unio respectiva, κατ' ἄξιν dicta, est multiplex, prout multi dantur respectus, secundum quos plura conspirant & unum fiunt. Huc spectat unio κατ' ἀξίαν dignitatem, κατ' ὁμοτιμίαν, honoris æqualitatem, κατ' ὁμωνυμίαν, nominis similitudinem; κατ' ἄδοξίαν, juxta æstimationem & reputationem; κατ' ἄρκα, vel unio carnalis, quæ est inter maritum & uxorem, quæ propter respectum conjugalis consuetudinis dicuntur una caro, Matth. 19. v. 15.

LXXX.

Atque hi sunt modi unionum præcipui, in certas classes redacti, quos annotare & enumerare voluimus, ut tum ratio unionis

nis in genere; tum singularitas unionis personalis in specie melius innotesceret. Eam enim vix affirmativè possumus describere, sed potissimum negativè, sicut & Patres hanc observârunt methodum, qui non tam quid sit, quàm quid non sit *ἡ προσωπικὴ ἔνωσις* indicârunt. Ut igitur omnes modi peregrini eò rectius removeri, & peculiaris ratio unionis personalis ostendi posset, hinc præcipuos unionum modos percurrere, & annotare opus fuit.

LXXI.

II. Demonstratio, quòd duæ Naturæ in Christo ita sint unitæ, ut ipsis salvis, una tantùm sit persona?

Fides recta est, ut credamus & confiteamur, quòd Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus & homo est; Deus ex substantia Patris ante secula genitus; & homo ex substantia matris in seculo natus: Qui licèt Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus; Unus autem non conversione divinitatis in carnem; sed assumptione humanitatis in Deum: Unus omninò non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus, docente & explicante Athanasio in Symbolo. Hanc fidem in Scripturis, Symbolis, Conciliis & Patribus fundatissimam esse dicimus, ideoque sequentibus argumentis munimus.

2. Demonstratio, quòd duæ nature in Christo sunt unitæ, Id quod probatur,

LXXII.

I. A dictis, Incarnationem λόγῳ describentibus, A dictis, inqualia leguntur *Es. 9. v. 6. Jer. 23. v. 6. Mich. 5. v. 1. Joh. 1. v. 14. Col. 2. v. 9. 1. Tim. 3. v. 16.* quæ suprâ memb. III. explicuimus, & ex quibus jam ita colligimus: *Qui est incarnatus, ille carnem verè assumfit, & consequenter cum carne verè est unitus. Atqui λόγῳ vel filius Dei est incarnatus. Carnem igitur verè assumfit, & consequenter cum carne verè est unitus. Majoris consequentia firma est, quia incarnari vel carnem fieri, juxta Scripturam, non est in carnem mutari, sed carnem potius assumere, juxta *Hebr. 2. v. 14. 16.* quò etiam à non multis refertur locus *Heb. 10. v. 5* *Ingrediens mundum,* (nempe æternus Dei Filius per incarnationem, qualis phrasis extat quoque *c. 1. v. 6. c. 9. v. 11.*) *dicit (ad Patrem) Hostiam & oblationem noluit;**

luisi : σῶμα δὲ κατηρέτισα μοι, Corpus autem adoptasti mihi. Luthi.
Den Leib aber hastu mir zubereitet. Syr. Corpus induisti mihi.
 Citatur hoc ex *ψ. 40.v.7.* in quo habetur, *aures perforasti mihi.* His
 verbis respicitur ad morem Judæorum, quo servis, amore Domi-
 norum suorum nolentibus exire servitio, anno septimo ad postes
 domus subulâ perforabatur auris, quam quasi contumeliam, servi
 in testificationem subjectionis suæ, lubenter perferebant, *Ex 21.v.5.*
 Ait igitur Christus, sibi aurem à Deo Patre perforatam esse, in si-
 gnum obedientiæ, adeoque verba, *Aures perforasti mihi,* notant i-
 dem, quod obsequentem me fecisti, unde apparet, in verbis qui-
 dem, non tamen in sensu esse discrepantiam. Nam Apostolus
 rem exprimit, nempe incarnationem; Propheta finem rei, nempe
 obedientiam, in assumpta carne præstandam, quoniam sanguis sa-
 crificiorum, peccata expiare haut potuit. Porro autem quod *λό-
 γος* carnem ita susceperit, & cum ea unitus ita sit, ut una tantum
 persona maneat, sequentes rationes manifestum facient.

LXXIII.

*A dictis,
 quibus
 Christus
 & Deus &
 Homo di-
 citur.*

II. A dictis, quibus Christus & Deus & homo di-
 citur. De quacunque persona prædicantur diversæ naturæ, in il-
 la persona naturas istas unitas esse oportet, si tales prædicationes
 falsitatis argui non debeant. *Sed* de Christo uno prædicantur di-
 versæ naturæ, quia dicitur esse Deus & homo, filius Dei, & filius
 hominis, atque ita quidem dicitur, ut homo ille, qui Christus est,
 verè sit Deus, & vicissim, Deus ille, verè sit homo, juxta dictum,
*Jer. 23.v.6. Germen Davidus est Jehova, Matth. 16.v.13.16. Filius hominis
 est Filius Dei vivi. Luc. 1.v.36. Quod ex te nascetur sanctum, filius Dei vo-
 cabitur, Joh. 9.v.35.36. Qui loquitur est filius Dei. 1. Cor 15.v.48 Secundus
 homo est Deus de cælo.* Quare utramque illam naturam in una Chri-
 sti persona verissimè unitam esse oportet. *Major* per se illustris est,
 quia propositio hæc, Deus est homo, nequit concedi, nisi subje-
 ctum & prædicatum, Deus & homo, sint unita, & concurrant in u-
 no supposito, quia ratione sui sunt naturæ disparatissimæ, quæ de
 se invicem prædicari in æternum nequeunt, nisi uniantur & con-
 veniant in unum & idem, quod fit utrumque.

LXXXIV.

III. A dictis, quibus unum duntaxat esse Christum & Redemptorem asseritur. Talia leguntur Eccles. 12. v. 13. Verba Sapientum tradita sunt a Pastore uno, nempe Christo, qui se Job. 10. v. 11. pastorem illum bonum vocat. Ezech. 34. v. 23. Suscitabo super eas Pastorem Unum. Matth. 13. v. 8. Unus est Doctor vester Christus. Rom. 5. v. 15. Donum Dei in gratia unius hominis Jesu Christi abundat, v. 17. Justi regnabunt per unum Jesum Christum, v. 19. per unius obedientiam justi constituuntur multi. 1. Cor. 8. v. 6. Unus est Dominus Jesus Christus, per quem omnia. Gal. 3. v. 16. Non dicit; Et seminibus, ut de multis, sed ut de uno. Eph. 4. v. 5. Unus dominus, una fides, 1. Tim. 2. v. 5. Unus est Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus. Hinc verò sic argumentamur: Christus unus est & dicitur, aut propter naturam unam, aut propter personam unam. Sed non propter unam naturam, quia ipsum constare geminâ, & esse verum Deum, verumque hominem, alibi probatū est. Quare unus est propter unam ὑπόστασιν, & per consequens, duæ naturæ in uno Christo personaliter sunt unitæ. Porro illa una ὑπόστασις aut est divinæ naturæ propria, aut humanæ, aut ex utriusque concursu conflata. Sed non est humanæ naturæ, quia per illam Deus infinitus subsistere nequit, nec est ex utriusque naturæ concursu conflata, quia λόγος aliàs quoad ultimam suam perfectionem dependeret quodammodo à creatura, & sic inferior esset Patri & Spiritu Sancto, quæ omnia quum sint absurdissima, concludimus, duarum naturarum in Christo ὑπόστασιν, esse ipsam divinam τὸ λόγος ὑπόστασιν.

IV. A dictis, quibus opposita attributa de uno Christo prædicantur. Nam dicitur æternus, Mich. 5. v. 2. & creator mundi, Job. 1. v. 3. qui fuit, antequam esset Abraham, Job. 8. v. 58. & nihilominus in tempore dicitur conceptus, Luc. 1. v. 31. natus Mat. 1. v. 7. factus de muliere, Gal. 4. v. 4. Hujusmodi prædicamentorum, ut quòd sit immortalis & mortalis, infinitus & finitus, omnipotens & infirmus, invisibilis & visibilis, omnia habens & nihil possidens, &c. multa reperiuntur passim in Scripturis, ex quibus ita concludimus:

A dictis,
quibus unum
duntaxat
Christum
& Redem-
torem esse
asseritur.

A dictis,
quibus op-
posita at-
tributa de
uno Chri-
sto prædi-
cantur.

mus : *Cuicumque* verè divina & verè humana propria verè ac re-
ipsâ tribuuntur, in illo duas naturas, divinam & humanam, arctis-
simè unitas esse oportet, quum divina non nisi de Deo vero; &
humana non nisi de homine vero verè prædicentur: *Sed* uni per-
sonæ Christi verè divina & humana propria, verè tribuuntur:
Quare in una persona Christi duas naturas, divinam & huma-
nam, arctissimè unitas esse oportet.

LXXXVI.

A dictis,
communi-
cationem
idiomatū
indicanti-
bus.

V. *A* dictis, Communicationem Idiomatum in-
dicantibus. Sæpè enim filio hominis tribuuntur divina, ut de-
scendere de cœlo, & in cœlo esse, *Joh. 3. v. 13.* itemque filio Dei, tri-
buuntur humana, ut interfici, *Act. 3. v. 15.* crucifigi, *1. Cor. 2. v. 8.* & simi-
lia. Hæ prædicationes omnes forent falsæ & absurdæ, nisi duæ na-
turæ in Christo essent personaliter unitæ. Quomodo enim de ho-
mine divina, & de Deo humana verè queunt enunciari, si non una
& eadem persona, simul sit Deus & homo? Hinc *Nestorius* negavit
Mariam *θεοτόκον*, quia vidit, concessâ Idiomatum communicatio-
ne, unionem personalem, quam Patres urgebant, & ipse aliter defi-
niebat, necessariò præsupponi; Si enim Maria verè peperit Deum,
quum peperit hominem, sequitur, hunc hominem verè esse De-
um, adeoq; in Christo duas naturas personaliter, vel ad constitu-
endam unam personam esse unitas.

LXXXVII.

A typis
Christum
præfigu-
rantibus.

VI. *A* typis Christum præfigurantibus. Typi
illi sunt *partim* personales, *partim* reales: per *utrosque* unitas per-
sonæ Christi fuit adumbrata. Una persona fuit *Melchisedech*,
qui regiâ & Sacerdotali dignitate simul præditus; una *Isaac*, qui de-
bebat immolari; una *Moses*, qui Israëlem eduxit; una *Josua*, qui in
Canaan introduxit; una *David*, qui Goliathum interfecit; una *Jona*,
qui in ventre ceti per triduum delituit. Quare & antitypum,
nempè Messiam, duntaxat unam fuisse personam, in qua tamen
duæ naturæ concurrerunt, consequitur. Sic unus fuit *agnus Pa-*
schalis mactandus, *Ex. 12.* uni *hircò* sunt peccata imposita, *Lev. 16.* unus
serpens in deserto est exaltatus, *Num. 21.* Cum primis huc referunt
non-

nonnulli typum arcæ in tabernaculo. Erat illa ex Cedris lectissimis constructa, puroque auro undiquaque obducta, & licet ita diversis rebus constaret, attamen una erat & manebat. Sic in Christi persona est humanitas, tanquam lignum cedrinum, quod uti cariem non sentit; ita in sepulchro illa non putruit; est deinde divinitas ut aurum, quæ humanitatem undiquaque complectitur. Et sicut aurum cedro est pretiosius & solidius; sic divinitas humanitate est longè excellentior, quippe dans ei splendorem & efficaciam. Sicut autem una tantum fuit arca, licet cedro auroque constaret; Sic Christus una est persona, quanquam in illo humanitas & divinitas simul concurrat.

LXXXVIII.

VII. A Symbolis Ecclesiasticis. In symbolo suo Apostoli profitentur filium Patris unicum, conceptum de Spiritu S. & natum ex Maria virgine. Patres Niceni in suo symbolo, credunt in unum Dominum Jesum Christum, ex Patre natum ante omnia secula, & simul in tempore incarnatum. Athanasius expressè docet, non duos, sed unum esse Christum, non confusione substantiæ, sed unitate personæ.

LXXXIX.

VIII. A Conciliis. Ephesinum can. 2. ita definit: Si quis non confitetur, carni secundum substantiam unitum Dei Patris verbum, unum esse Christum cum propria carne, eundem scil. Deum simul & hominem, anathema sit: qui ipse canon in Concilio Chalcedonensi, act. 5. adprobatus & receptus est. Ejusdem Concilii confessio sic habet: Unum & eundem confitemur Jesum Christum Filium Dei, Dominum & Unigenitum, in duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter, indivulse & inseparabiliter manifestatum. In synodo 5. generali, can. 5. dicitur: Si quis in mysterio Christi conatur introducere duas substantias vel personas, anathema sit.

XC.

IX. A Patrum testimoniis. Tertull. ad Praxeam, c. 27. Videmus duplicem statum; non confusum, sed conjunctum in una persona, Deum & hominem Jesum. Irenæus l. 3. c. 47. & seqq. hanc ipsam thesin probat adversus eos, qui linguâ quidem unum Christum Jesum confitentes, divisi sunt sententiâ, ut ipse loquitur. Et cap. 18. ait: Johannes

*hannes unum & eundem novit verbum Dei, & hunc esse unigenitum, &
 hunc incarnatum esse pro salute nostra, Dominum nostrum Jesum Chri-
 stum, filium Dei unigenitum. Athanasius in Evangelio de Maria Dei-
 para: Christus est Deus perfectus, & homo perfectus. Unus, ratione unius
 personæ; duplex tamen naturâ. Gregorius Nazianzenus, epist. i. ad Cle-
 donium: Si quis duos filios, alterum ex Deo Patre; alterum ex matre; non
 autem unum atq; eundem induxerit, is ab ea quoq; filiorum adoptione ex-
 cidat, quæ rectè credentibus promissa est. Hilarius l. 3. de Trinit. Naturam
 Dei in virtute resurrectionis intellige; dispensationem hominis in morte co-
 gnosce. Et quum utraq; sint suis gesta naturis, unum tamen Christum Jesum
 eum memento esse, qui utrumq; est. Ambrosius l. de Incar. Dominicæ
 Sacram c. 7. Non Christum divido, quum carnis ejus divinitatisq; distingo
 substantiam, sed unum Christum cum Patre & Spiritu Dei prädico. Chry-
 sostomus in c. i. Joh. hom. 10. Unitate & conjunctione unum est Deus
 verbum & caro, non confusione aut interitu substantiarum. August. l. 13. de
 Trin. c. II. Sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis
 fieret una persona. Gregorius l. 18. Moral. c. 36. Quamvis Christus aliud ex
 Patre, aliud ex virgine; non tamen alius ex Patre, alius ex virgine; sed ipse est
 æternus ex Patre, ipse temporalis ex matre. Damascenus l. 3. de F. O. c. 3.
 Ex duabus. perfectis naturis, divina & humana, dicimus unionem factam
 esse, &c.*

Hinc nati sunt illi versiculi, in Ecclesia celebres;

εἰμὴ ὅς ἦν, ὅτι ἦν δὲ ὅς εἰμι: ἐγὼ δὲ καὶ ἄμφο

ἄμφοτερον πέλομαι, ἄμφοτερον λέγομαι.

Sum, quod eram, nec eram, quod sum: nunc dicor utrumq;

Ignoras, nisi me stirpe ab utraq; tenes.

XCI.

Objectiones.

*Simulq; di-
 luuntur ob-
 jectiones cō-
 traria, quæ
 desumuntur
 Ab infinita
 distantia
 inter divinā
 personam
 & naturam
 humanam.*

I. Ab infinita distantia, quæ est inter divinam perso-
 nam & naturam humanam. Inter quæ nulla est proportio, ea sic
 uniri nequeunt, ut ex iis una existat persona, sicut ex substantia &
 accidente, ob summam distantiam, nunquam potest fieri una ali-
 qua

qua substantia. Sed inter divinam personam, & naturam humanam nulla est proportio, sed potius infinita, distantia, quoniam Deus est infinitus, homo finitus: Quæ autem finiti ad infinitum est proportio? E. divina persona, & natura humana sic uniri nequeunt, ut ex iis una existat persona.

Resp. 1. Totus hic discursus ἀλλότῃς est, quia non ex Scriptura, sed ratione defumtus, cui mysterium unionis videtur impossibile, quando illud secundum regulas suas considerat.

2. Nos opponimus dicta clarissima Joh. 1. v. 14. *Verbum caro factum est.* Col. 2. v. 9. *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis,* &c. quæ divinæ personæ & naturæ humanæ unionem luculenter indicant, ideoq; nihil moramur istas obstrepentis rationis ineptias. Pulchrè Tertull. l. de resurr. carnis: *Aufer hereticis, quæ cum Ethnicis sapiunt, ut de Scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt.* Sciendum igitur

3. Quòd unio λόγῳ & carnis non sit naturalis, aut creatâ virtute peracta, ubi necessaria semper est proportio; verùm planè hyperphysica est, & immediatè Deum authorem habet, cujus potentia est infinita, quæ limites non admittit, quæ ut ex non Ente potest facere Ens, Ita multò magis ex improportionato potest facere proportionatum, vel etiam illa, quæ maximè sunt improportionata, conjungere. Taceat ergo ratio, & cogitet homo, inter infinitam Dei potentiam, & finitum intellectum, esse infinitam distantiam, proportionem nullam, adeoq; Deum plura posse, quàm quæ intelligimus, Eph. 3. v. 20. Si scriptum sit, credamus, quia hoc sufficit, si maximè nullam ratio proportionem inveniatur.

4. Multa in Scripturis proponuntur religiosè credenda, quibus deesse videtur omnis proportio: Deus est infinitus, & nihilominus cor hominis est templum, & receptaculum Dei, 1. Cor. 6. v. 19. Verbum externum est sonus creatus, finitus; Dei virtus est immensa, infinita, & tamè verbum prædicatum est vehiculum iufinitæ virtutis divinæ, Rom. 1. v. 16. Quænam est proportio inter aquam Baptismi & regenerationem hominis? Et nihilominus lavacro aquæ mundamur, Eph. 5. v. 26. Quænam est proportio inter panem & corpus Christi? Et tamen panis est communicatio corporis Christi,

M

sti,

isti, 1. Cor. 10. v. 16. adeoq; duo illa Sacramentaliter sunt unita, & ipsum corpus Christi totum ore nostro percipitur, quod corpori Christi planè impropotionatum est. Discat igitur vel tandem perulca ratio, principium credendorum & unionis mysticæ non esse proportionem, sed *Scripturam & Dei potentiam*. Illa revelat; hæc causat. Illi docet, quòd res facta sit; hæc convincit, quòd fieri possit. Illa veritatem; hæc possibilitatem rei ostendit.

5. *Gregorius de Valentia*, Tomo 4. disp. 1. q. 1. pun. 2. col. 18. respondet per *distinctionem proportionis*, & aliam vocat *Geometricam*, aliam *habitudinis vel ordinis alicujus*, qualis sit inter potentiam & objectum proprium; inter causam & effectum. Dicit igitur, quòd inter personam divinam & naturam humanam non sit proportio Geometrica, quia distent in infinitum; sit tamen *proportio habitudinis*, quia personalitas divina & humana natura sint per se talia, ut natura humana possit à personalitate divina, tanquam à termino & complemento quodam suo dependere. Verùm an hæc responsio solida, & adprobanda sit per omnia, dubitari posset non immeritò. Nam (1.) à simplicitate fidei receditur, & pluribus rationis speculationibus atq; objectionibus ansa datur. (2.) Rigorofus adversarius dicet, principium in eo peti, quod de proportione habitudinis asseritur. Quæ enim in infinitum distant, inter ea non datur habitudo vel convenientia quædam. (3.) Mysterium unionis videtur quodammodo extenuari, quia in ipsa humana natura per se ponitur aliqua *δύναμις*, quâ potuerit à divina persona assumi. At verò in se est incapacissima, ideoq; hinc & Dei potentia, & mysterii sublimitas magis elucescit, si dicamus, naturam humanam omni proportione & habitudine destitutam, à *λόγω* nihilominus in suam *ὑπόστασιν* esse assumptam. Hoc responsum est tutissimum, auget gloriam Dei, conservat simplicitatem fidei, compescit rationem. & abducit ab ulterioribus speculationibus, ideoq; proportionem illam habitudinis, quam assumpsit Valentianus, suo auctori remittimus, & defendendam relinquimus. Nobis placet aureolum istud *Castiani*, qui l. 4. de Incar. adeoq; de hoc ipso mysterio differens, scribit: *Rationem quæris dicti? Non reddo. Deus hoc dixit, Verbum illius summa ratio est. Sola mihi ad credulitatem sufficit persona*

sona dicentis. Quid queram, Quomodo verum sit, quod Deus dixit, quin
dubitare non debeam, quin verum sit, quia Deus dixit?

X CII.

II. A perfectione & immutabilitate divinæ per- *A perfectio-*
sonæ. *Quæcumq; persona est perfectissima & immutabilis, ei nihil ne & im-*
potest accedere, ea cum nulla substantia alia potest uniri, *quia talis mutabili-*
unio importat mutationem, dum incipit esse, quod antea non erat, *tate divinæ*
adeoq; se aliter habet, quàm prius. *Sed λόγος est persona per-* *persona.*
fectissima & immutabilis, quoniam verus Deus, de quo dicitur
Malach. 3. v. 6. Ego Deus, & non mutor. Jac. 1. v. 17. Apud Deum non est
transmutatio. *Quare λόγος nihil potest accedere, nec potest ille cum*
aliqua substantia, qualis est humana natura, personaliter uniri.

Resp. 1. Hoc argumentum directè est oppositum sacris literis,
& Christianæ fidei, quâ secundum illas utrumq; credimus, tum λό-
γος perfectionem & immutabilitatem, tum λόγος incarnationem.
Nam utrumq; in sacro codice revelatū est: Quare unum non tollit
alterū, neq; se habent ἐναντίως vel cōtrariè, sed potius ὑπαλήλως
vel sub ordinatè, quæ una responsio fidei animo abundè sufficit.

2. Ex abundantia addimus, *maiorē non esse simpliciter veram,*
quum & alia exempla, eam limitandam esse doceant. Deus in Ve-
teri Testamento in diversis, quas assumpsit, formis apparuit, nec ta-
men propterea ejus vel perfectioni, vel immutabilitati aliquid de-
tractum fuit. Quoties novus fit Christianus, toties filio Dei ali-
quid accedit, quia est instar frugiferæ arboris, aut vitis, cui fideles,
tanquam surculi aut palmites per fidem inseruntur juxta Joh. 15. v. 1.
& ibi fit unio spiritualis, quâ Dei Filius ita copulatur cum creden-
tibus, ut ipse in illis, illi in ipso sint. Num verò hinc sequitur ali-
qua imperfectio & mutabilitas? Aut, num ista neganda sunt, ne
λόγος fiat mutabilis? Imò quoties novus homo physicè genera-
tur, aut aliud quodvis animal, Deus illi adesse incipit, secundum
generalem præsentiam ac sustentationem, & nulli tamen propter
ea mutationi est obnoxius.

Proinde 3. distinguimus inter *accessum physicum*, quo aliquid
sic accedit, ut ad esse completum alterius faciat; & *hyperphysicum*,
quo aliquid alteri tantum unitur, certi finis gratiâ; non tamen il-

lud perficit, aut ad ejus esse concurrat. Prior accessus indicat imperfectionem & mutabilitatem; sed non posterior, id quod declarari potest exemplo animæ à corpore separatae. Est illa ratione sui perfecta, & post mortem per se subsistit; Quando autem in extremo die per infinitam virtutem divinam rursus accedet ei corpus, ibi sanè non perficietur ratione sui, non physicè mutabitur, quia est Spiritus, in quem non cadit talis mutatio. Et nihilominus verè unietur cum corpore, ad constituendum unum hominem. Similis quodammodo, longè tamen excellentior & admirabilior fuit accessus humanitatis ad λόγον. Accessit illa non per alterationem, non per ulteriorem λόγου perfectionem, ac si ipsius esse debuisset complere; sed accessit tantum per unionem, quatenus λόγος ipse illam in se recepit, & sibi penitissimè copulavit, in eum finem, ut redemptionem generis humani procurare posset: quod omne sine omni mutatione contigit.

4. Scholastici solent diversimodè respondere, pleraq; tamen sunt spinosa, & intricata. Thomas par. 3. q. 16. art. 1. ad ult. & art. 6. ad 2. ait: *Nullam ex unione ista sequi mutationem in λόγω, quia λόγος dicatur homo tantum secundum relationem rationis; quâ intelligatur personalitate suâ complere & determinare dependentiam naturæ humanæ, quæ sola in hoc mysterio mutetur.* Sed ipse Gregorius de Valentia col. 20. agnoscit infirmitatem hujus responsi, quoniam esse hominem, non sit prædicatum propriè merèq; relativum, sed potius absolutum. Ipse autem col. 21. aliam posuit solutionem, quâ sibi valdè sapiens videtur, & dicit, *λόγον semper fuisse hominem eminenter, quia ut Deus omnes perfectiones in se contineat; factum verò esse hominem formaliter. Id verò tantum mutari, quod simpliciter & absolute (eminenter & formaliter) non fuit id, quod fieri postmodum incipit. Verum valdè dubitamus, an hæc responsio tranquillare possit animum.* Nam (1.) vix intelligi potest, quid sit, Deum eminenter esse omnia. (2.) Ab analogia fidei alienum videtur dicere, λόγον ante Incarnationem fuisse hominem eminenter. (3.) Adversarius dicet, principium peti: Qui enim formaliter incipit homo esse, quum antea nō fuerit, eum reipsâ mutari reget. Quare rursus judicamus tutissimum esse, ut à talibus speculationibus abstineamus, neq; dignam judicemus curio-

curiosam rationem, ut illi reddatur ratio, aut modus excogitetur, secundum quem λόγος sine mutatione sui homo fieri potuerit. Sufficit nobis, quòd rem scimus ex Scripturis: de modo & possibilitate curiosi disputent. Quid enim opus est disquirere, an unio λόγος & carnis sine mutatione λόγος fieri potuerit, quum eam ita factam esse, ex Scripturis certissimè sciamus?

XCIII.

III. A naturæ singularis conditione. *Omnis A natura natura singularis* habet propriam personalitatem, & contrarium *singularis* planè est ἐκ τῶν ἀδιωμάτων, quum nulla substantia rationalis *conditione* sit singularis, nisi per suam singularem ὑπόστασιν. *Natura verò humana*, quæ dicitur à λόγῳ assumpta, est natura singularis. *Quare* habet propriam personalitatem, & per consequens sola natura ac persona non potuit conjungi; sed si facta est unio, tum facta est inter duas personas, non inter personam & naturam.

Resp. 1. Hoc argumentum rursus est ex peregrina pharetra petitum, & Christianæ fidei è diametro oppositum, ideoq; mens fidelis illud tutò potest contemnere, juxta monitum Justinii: *Quæ ratione non possumus refellere, fide diluamus.* Et August. rectè l. 12. de Civ. Dei c. 17. *Impias argumentationes si ratio refutare non posset, fides irridere deberet.*

2. Ex abundantia verò addimus, majorem non esse simpliciter veram. Partes totum integrantes sunt singulares, neque tamen habent peculiarem existentiam. Anima in humano corpore est natura singularis, per se tamen non subsistit; unde apparet, principium singularitatis non esse semper propriam personalitatem; sed potius productionem extra causas, vel formationem ab agente singulari. Quòd si excipiant, *exempla allegata tantum denotare substantias imperfectas, majorem verò loqui de perfecta, qualis sit humana natura*; regerimus, majorem illam nihilominus esse limitandam, nempe omnem substantiam singularem perfectam, habere propriam personalitatem, nisi Deo videatur aliter, & nisi præveniatur à Deo, & in alienam ὑπόστασιν suscipiatur. Ita verò comparatum est cum humana natura Christi, quæ utique per se statim

M 3 cepif-

cepisset subsistere, nisi λόγος eam prævenisset, & in suam ὑπόστασιν
Civ assumisset, qui subsistendi modus in aliena ὑπόστασιν infinita,
longè est perfectior, quàm subsistere in ὑπόστασιν propria fini-
ta.

XCIV.

A termino
unionis.

IV. A termino Unionis. Ex duobus Entibus in actu,
non fit Ens unum per se, quia sequeretur aliàs, quoddam Ens per se
unum dari, quod simpliciter & absolutè neque esset creatum. neq;
increatum. Sed persona divina, & natura humana sunt Entia in actu.
E. nequit ex iis constitui unum Ens per se, & consequenter neque
substantia prima, seu persona, quæ in utraq; natura subsistat.

Resp. 1. Repetimus hîc illud Ambrosii, de fide ad Gratianum:
Non creditur Dialecticus, creditur piscatoribus, hoc est, Apostolis, qui
Christum esse verum Deum, verumq; hominem, & nihilominus
Christum duntaxat unum profitentur. Garriant ergo Philosophi,
quomodo ex duobus entibus in actu possit fieri unum per se; nos
credamus, quia id factum esse, ex scripturis novimus.

2. Ut ratio compescatur eò melius, majorem ita limitamus,
Non fit unum per se, ex duobus Entibus in actu, nempe quorum ut-
rumlibet in suo genere perfectum, completum & terminatum est.
Humana verò natura, quum assumeretur, fuit quidem Ens in actu
sed non in perfecto & completo, quia determinationem & ulti-
mum complementum accepit ab ὑπόστασιν τοῦ λόγου, adeoq; ex
hac & illa potuit unum Ens per se, hoc est, una persona constitui.
Proinde quatuor terminis constat hoc argumentum; quia major,
loquitur de Entibus in actu completo; minor subsumit de natura
in actu incompleto. Si autem quæras, an persona Christi sit creata vel
increata? Respondeo paucis; si nudam ὑπόστασιν intelligas, tantum
ea increata est, quia solius λόγου ὑπόστασις est; si ὑφιστάμενον ipsum,
est partim creatum respectu naturæ humanæ; partim increatum,
respectu personæ divinæ, non secus ac hominis personaiitas tan-
tùm invisibilis est; homo verò ipse partim visibilis est, quo ad cor-
pus; partim invisibilis, quo ad animam.

V. Ab absurdo. Videtur Deo ignominiosum esse, si fiat *Ab absurdo* creatura, & sese ita profundè humiliet: Imò sequeretur, ὑπότασιν *do.* λόγος ignobiliorem esse naturâ assumptâ, quum quælibet ὑπότασις eâ naturâ sit ignobilior, cui subicitur.

Resp. 1. Sunt & hæ tantum speculationes humanæ rationis, & meræ *Φαντασιαι* politicae, secundum quas eò plus putatur detrahi majestati, quò illa se magis humiliat, & cum infimæ fortis hominibus conversatur. Ast alia mens est Dei nostri, humilia ille respicit, *Ps. 113. v. 5.* ejusq; gloria eò fit illustrior, quò magis seipsum demittit.

2. In verbo *humiliandi* latet quædam ambiguitas. Vel enim notatur depositio majestatis, quo modo Deus se nunquam humiliat; Christus autem secundum humanam naturam ita exinanitus est, *Phil. 2. v. 7.* vel significat inclinatio bonitatis, quâ Deus misereatur hominum, & eorum causâ peragit opus redemptionis, quo modo λόγος sese humiliavit per incarnationem, sed citra omnem ignominiam, quum inde potius innotuerit gloria justitiæ, sapientiæ, potentiæ & misericordiæ divinæ.

3. In unione personali λόγος non subicitur carni, tanquam perfectiori, ut materia formæ, & alia hypostasis suæ naturæ solet subjici: sed persona λόγος perfectissima ad se assumit carnem, veluti rem imperfectiorem & ἀνυπότακτον, ut in illa persona existeret, atq; sic per illam extolleretur.

4. Subsistentia quidem creata est imperfectior eâ naturâ, cujus est subsistentia: increata verò & divina ὑπόστασις est æqualis suæ essentiæ, quæ per illam subsistit, omnibus autem creatis rebus infinitis modis est superior, ideoq; nequaquam sequitur, ὑπότακτον λόγος fore ignobiliorem carne, si huic communicata statuetur.

Plures objectiones refert solvitq; *Gregorius de Valentia*, Tom. 4. dif. 1. q. 1. pun. 2. *Polanus* l. 6. synt. Th. c. 16. col. 2417. seqq. & ex hoc *Martinius*, l. 2. de Perf. Christi, par. 1. tr. 1. c. 11. p. 555. seqq. Sed illæ partim nimis spinosæ, partim elumbes, partim ex hypothesebus

sibus Calvinianorum desumptæ sunt, adeoq; indignas censuimus, quibus vel apponendis vel refellendis aliquid boni temporis tribueretur.

XCVII.

III. De vera unionis personalis ratione.

3. Vera unionis personalis ratio.

Tria cum primis hîc in considerationem veniunt, (1.) *Materiale*, vel quænam sint unita. (2.) *Terminus*, vel in quo sint unita. (3.) *Formale*, vel quomodo sint unita; ex quorum copulatione ultrò emerget vera unionis personalis definitio, & genuina hujus nomenclaturæ ratio.

XCVIII.

Circa quam considerari debent unita.

Constat tum ex antecedentibus, tum ex usitata Ecclesiæ confessione, quòd duæ naturæ, divina λόγος, & humana in utero Mariæ formata, propriè dicantur unitæ, quas dum attenderunt Patres, unionem hanc nominârunt *Ὁυσινλώ καὶ ἐσιώδη* naturalem & substantialem, non quòd facta sit ad unam substantiam vel naturam; sed quia duæ substantiæ vel naturæ invicem sunt unitæ. Quanquam enim persona & natura τῆς λόγος nō differant realiter, modus tamen loquendi sic obtinuit, ut naturam divinam, non personam, cum natura humana unitam esse asseramus; sicuti contrà personam λόγος non naturam dicimus assumpsisse carnem humanam. Modus hic loquendi videtur desumptus ex *Col. 2. v. 9.* ubi tota plenitudo divinitatis habitare dicitur in Christo, nempè secundum humanam naturam. Duo igitur habemus unita, quæ constituunt unionis materiale, (1.) *Est plenitudo divinitatis*, vel verissima τῆς λόγος divinitas. (2) *Est caro assumpta*, vel incorrupta humanitas.

XCIX.

Unionis terminus.

Τὸ ἐνοπιὸν verò vel terminus, in quo utraq; natura concurrat, & quo mediante uniuntur invicem, est una eademq; ὑπόστασις vel substantia, nimirum infinita τῆς λόγος. Ut enim in omni disparatorum unionem quoddam datur quasi vinculum, quod illa unit, in quo ista conveniunt, & per quod unum fiunt: Ita in unionem hac supernaturali τὸ ἐνοπιὸν duas naturas conjungens est ipsissima Filiū

Filii Dei ὑπόστασις, in quam unā assumitur caro Christi, & per hanc assumptionem cum divinitate λόγος arctissimè unitur. Ubi tamen non est putandum, quòd *alia* res sit natura λόγος unienda, & *alia* ὑπόστασις λόγος, quæ vocatur vinculum & terminus unionis, sed hæc duo sunt re unum, differunt tantùm ratione & modo concipiendi, unde distinguuntur etiam modo loquendi. Verissimum est quoad rem, quòd non tantùm λόγος, sed etiam natura λόγος divina sit incarnata, vel carnem assumserit; quòd non tantùm natura, sed & persona λόγος carni sit unita; quòd λόγος assumens & ὑπόστασις, in quam caro est assumpta, realiter non discriminentur: quia tamen hanc simplicissimam unitatem noster intellectus non capit, hinc quodammodo distinguimus inter naturam λόγος, quæ essentia divina; inter personam λόγος, quæ notat ὑφιστάμενον Trinitatis secundum, certo modo habens essentiam divinam; & inter personalitatem vel subsistentiam λόγος, quæ est modus existendi, & ultima determinatio essentiæ. Quando hæc juxta nostrum concipiendi modum distinguimus, tum & distinctæ locutiones formari solent debentq; , nimirum hujus modi: (1.) Persona λόγος primò, & hac mediante, natura divina assumit humanam naturam. (2.) Unio personalis accuratè loquendo non est personæ & naturæ; sed duarum naturarum, divinæ & humanæ in persona. (3.) Terminus & quasi tertium illud, in quo utraque natura concurrat, est infinita λόγος subsistentia, & nihilominus hæc ipsa realiter non differt à natura λόγος, dicimus tamen, quòd duæ naturæ in una ὑπόστασει λόγος concurrant & uniantur. Unde apparet intellectus nostri angustia, & mysterii hujus profunditas inexhausta.

C.

Ut verò quodammodo explicetur, quomodo duæ naturæ sint unitæ, duo hîc explicanda veniunt: (1.) Removeri debent *modi falsi*. (2) Indicandum est verum *unionis personalis formale*, quod alii vocant differentiam specificam. *Falsi unionis modi* vel fingi possunt, vel ab hæreticis jam olim conficti sunt. Utrosq; semotos volumus, & quidem *primùm* relegamus hinc omnem unionem accidentalem, omnem substantialem ordinariam, cæterosq; modos peregrinos,

Remotio
falsorum
unionis
modorum.

N

grinos, quos aliquis assumere posset, ac de quibus supra pronunciatum est. Deinde quoque rejicimus quosvis modos hæreticos, inter quos præcipui sunt: (1.) Nestoriana *ἁπόστασις*, siquidem docuit Nestorius, unitas quidem esse duas in Christo naturas; sed negavit veram utriusque *κοινωνίαν*, adeoque non nisi unionem *ἁπόστατικὴν* concessit, atque sic unum Christum in duas personas discerpsit. Contrarium verò Scriptura docet, quæ de Christo tanquam de una & eadem persona loquitur. Hinc Patres distinxerunt, unionem factam esse *ἀδιακρίτως* indivisè, *ἀδιαιρέτως* indivulsè, & *ἀπεριγραπτῶς* incircumscriptè, quam verissimam sententiam contra Nestorium fusius probat *Damasc.* l. 3. c. 7. *Rungius* dis. 3. publ. par. 2. th. 60. seqq. *Bellarmin.* d. 3. de Christo c. 6. *Greg. de Valentia* T. 4. dis. 1. qu. 2. pun. 2. *Zanchius* de Incar. verbi, pag. 162. (2.) Eutychnorum *σύγχυσις*, qui statuerunt, post unionem unam tantum in Christo naturam esse, quoniam humana in divinitatem sit absorpta. Sed rectè Patres contrarium docuerunt, asserentes, unionem factam esse *ἀσυγχύτως* in confusè, *ἀτρέπτως* inconvertibiliter, *ἀναλλοιότως* inalterabiliter, *ἀμεταβλητῶς* immutabiliter. Pulchrè *Galatinus* utriusque errori Nestoriano & Eutychniano hanc assertionem opponit, lib. 3. cap. 2. *Natura utraque sunt inconfusè unitæ, ut inseparabiliter distinguantur.* Prolixè autem error Eutychnianus invenitur refutatus apud *Rungium*, disp. d. par. 2. th. 3. seqq. *Bellarminum* l. 3. de Christo. c. 3. *Greg. de Valentia*, T. 4. disp. 11. qu. 2. punct. 1. *Zanchium*, l. d. p. 156. & *Polanum* l. 6. Synt. cap. 16. col. 2435. (3.) Monotheletica *ἡρῆσις*, quâ utramque voluntatem Christi, divinam & humanam, ita miscuerunt, ut exinde unam factam assererent, qui error castigatur à *Damasceno*, l. 3. c. 13. 14. *Chemnitio*, l. de D. N. c. 18. & *Zanchio* l. d. pag. 184. (4.) Scholasticorum accidentalium unio, putantium, *λόγον* & carnem conjungi per aliquod accidens, ab utroque realiter distinctum, quæ monstrosa opinio rejicitur & refutatur ab ipso *Gregorio de Valentia*, T. 4. dis. 1. qu. 2. punct. 1. col. 169. (5.) Vorstianus influxus vel illapsus, qui est apertus Nestorianismus, adeoque iisdem rationibus retundi potest fortissimè. (6) Calviniana & Jesuwitica sustentatio, dum plerique ex grege illo statuunt, unionem personalem nihil esse

hil esse aliud, quàm singularem sustentationem humanæ naturæ in λόγῳ. At verò nimis lata & frigida est ista ἐνωσεως ὑποστατικῆς descriptio. Nam omnes creaturæ sustentantur à λόγῳ, Actor. 17. v. 28. Hebr. 1. v. 3. Sustentare est actus secundus: non igitur plenè exprimit actum personalem, unde Lutherus rectè pronunciat Tom. 2. Witteb. fol. 1215. *Hæc Philosophia est hæreticissima, quia negat, filium Dei esse hominem actu primo, sed fingit, eum sustentare naturam humanam velut actu secundo.* Neque tantùm Filius, sed Pater etiam sustentat carnem, quia conservatio est opus ad extra, ideoq; omnibus personis commune; & tamen ob hanc sustentationem de Patre dici nequit, quòd sit carni personaliter unitus. Si regerant, *humanam Christi naturam à λόγῳ singulariter sustentari*, petimus, ut explicent, in quònam consistat illa sustentationis singularitas. Aut n. fateri coguntur, ita singulariter à λόγῳ sustentari carnem, ut particeps facta sit ipsius personæ λόγῳ, quo ipso nostram sententiam adprobant; aut singularitatem istam vel planè non explicare poterunt, vel ita describent, ut nihil ibi singularitatis appareat. Proinde sic argumentamur: *Si singularis sustentatio humanæ naturæ est forma unionis personalis, tum erit vel quæ sustentatio, vel quæ singularis. Si illud, omnes creaturæ λόγῳ erunt personaliter unitæ, quoniam in illo & ab illo sustentantur omnes. Sin hoc, cur istam singularitatem nõ exprimunt, & solo communi sustentationis vocabulo, quòd tamen hoc mysterium neque declarat rectè, neq; distinguit planè, utuntur?*

Tandem & hoc expressè fatemur atque concedimus, quòd unio personalis propriè non consistat in *communicatione idiomatum*, quum hæc potius consequens sit, quàm ipsa unionis forma, ideoq; calumniatur Bellarminus, lib. 3. de Christo, cap. 8. Greg. de Valent. T. 4 col. 128. & Polanus l. 6. Syst. Th. c. 16. col. 2427. qui nobis affingunt, quòd in ipsa idiomatum κοινωνία omnem & totam unionis hypostaticæ essentiam consistere statuamus. Hoc quidem à nobis traditur, quòd mysterium illud, quia difficulter cognoscitur, à priori, per communicationem donorum, veluti per effectum, describatur commodè à posteriori, siquidem effectus nos evehunt in notitiam causarum; quòd autem ipsa quidditas & forma unionis

in se, non quoad nos considerata, solum & unicè in ista κοινωνία sita sit, hoc nunquā nobis in mentem venit, de quo & ipsa Concordiæ Formula satis testatur, art. 8. cuius hæc est doctrina, quod unio sit antecedens, communicatio consequens, illa sit causa, hæc effectus. Quando igitur illa per hanc declaratur, tum non est accurata definitio à priori, sed tantum aliqua descriptio à posteriori.

Atque ita hæctenus removimus omnes peregrinos unionis modos, qui vel fingi possunt, vel antea conficti sunt, vel nobis affingi solent: Superest, ut porrò veram declaremus hujus mysterii rationem, quoniam juxta Nazianzenum *θεὸς πρὸς τὸ εἶπέν αὐτὸν καὶ ὁ θεὸς εἶπέν*, Oportet non tantum quid res non sit, sed etiam quid sit, explicare.

CI.

Et verum
unionis for-
male,
Quod con-
sistit in ar-
ctissima na-
turarum
præsentia.

Quanquam verò unica unionis forma sit, uno tamen vocabulo exprimi commodè vix potest. Hinc in tribus potissimum eam consistere docemus. I. In arctissima naturarum præsentia. Ut enim omnis unio, ita vel maximè personalis, quum omnium unionum sit maxima, mutuam utriusq; uniti præsentiam importat. Quia igitur totus λόγος toti carni, & rursus tota caro toti λόγῳ est unita, quippe quum λόγος sit αὐερεῖς, & partes extra partes non habeat, fit inde, ut ubi caro est, ibi & λόγος sit, iterumq; ubi λόγος est, ibi caro sit, siquidem aliàs fieret personæ scissio, & naturarum divulsio, id quod apertè Nestorianum. Paret hinc, impiam esse thesin Calvinianorum, quâ λόγον ita totum in carne esse pronunciant, ut simul totus sit extra carnem, Pezelius par. I. object. p. 187. Zanchius l. 2. de N. D. c. 6. q. 4. p. 157. Sic enim λόγος post factam quoq; Incarnationem alicubi foret ἀσμεκ, & consequenter persona simplex, non σύνθετος. Nam ubi & quatenus λόγος extra carnem est, ibi & eatenus carni unitus non est. Unita enim quâ talia, sibi semper sunt præsentissima, unde Veteres unionem hanc factam esse dixerunt ἀδιαλύτως indissolubiliter, ἀδιαστάτως indistanter, καὶ ἀχωρίτως & inseparabiliter. Miserrimum verò est argumentum, quod objiciunt Calviniani, nempe, Finitum non est capax infiniti. Nam (1.) rationis speculatio opponitur articulo fidei. (2.) Si finitum non est capax infiniti, cur in Chri-

in Christo dicitur habitare tota plenitudo divinitatis? *Coloss. 2. v. 9.*
 Et quomodo caro facta est particeps infinitæ ὑποστάσεως λόγος?
 Cur *Origenes* scribit, animam Christi χωρεῖν capere totum λόγον?
 Cur *Epiphanius* Christi carnem nominat δοχεῖον θεότητος, recepta-
 culum Deitatis; *Cyrillus* indumentum; *Athanasius* amiculum? An-
 nōn etiam infinitus Deus à finitis sanctis capitur, in quibus ipse
 habitare dicitur, *Johan. 14. v. 23. 1. Cor. 6. v. 19. Apoc. 3. v. 20*? Quare (3.)
 explicanda est æquivocatio, quæ latet in vocabulo capiendi. Aut
 enim sumitur pro locali inclusione, & sic finitum non est capax in-
 finiti; aut pro sola μετοχῇ vel possessione, & sic finitū esse capax
 infiniti, exempla modò adducta, luculenter ostēdunt. Plura de hoc
 primo unionis personalis requisito, quo probatur, λόγον nullibi
 extra carnem esse, qui volet, ille videat assertionem *Hunnii* contra
Pezelium, m. p. 153. seqq. *Mentzeri Anti-Martinium*, pag. 204. seqq.
Scholas Academicas, disp. i. th. 114. seqq.

CII.

II. In profundissima naturarum περιχωρήσει vel im-
 manentia. Nec enim duæ illæ Christi naturæ sibi invicem præ-
 sentes tantum sunt; sed λόγος etiam instar ἐντελεχείας permeat,
 pervadit, penetratq; carnem; quæ se habet instar διωάμεως, ut
 tota fiat λογωθεῖσα verbificata, vel θεωθεῖσα Deificata, uti Patres
 loquuntur, non secus atque ignis ferrum, & anima corpus pene-
 trat, ut illud ignitum, hoc animatum fiat undique. Sic enim de-
 scribunt Græci περιχώρησιν, quam *Galatinus* latinè vertit *circum-*
incessionem, lib. 3. cap. 2. quod sit ὅλα πρὸς ὅλα παντελῆς ἔνωσις καὶ
 ἀμύγῃς, totius in totum plenissima & impermixta unio, in qua singula sunt
 in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia, ex-
 plicante *Augustino*, l. 6. de Trin. c. ult. περιχώρησις verò vel perva-
 sio pro ratione unitorum variat, & est vel naturalis, quæ rursus tum
 in essentialē, qualis inter materiam & formam, corpus & animam;
 tum in accidentalē, qualis inter ferrum & ignem, dispescitur; vel
 supernaturalis, quæ similiter duplex: (1.) essentialis, qualem esse di-
 cimus inter divinam essentiam, & tres personas Deitatis. (2.) hy-
 postatica vel personalis, quæ est inter duas naturas, divinam & huma-
 nam, ad unum ὑφιστάμενον θεάνθρωπον concurrentes, cujus per-
 vasionis ea est ratio, quod λόγος tanquam actus purissimus to-

In profun-
 dissima na-
 turarum
 περιχωρή-
 σει vel im-
 manentia.

tam carnem assumptam, velut *δύαμιον*, penetrat, aded, ut nihil in illa carne sit, quod non *λόγῳ* sit repletum, unde contrectato homine, verissimè Deus est contrectatus, *1. Johan. 1. v. 1.* & crucifixo homine, ipse Dominus gloriæ crucifixus, *1. Corinth. 2. v. 8.* & dux vitæ interfectus, *Actor. 3. v. 15.* rectè dicitur. Signum insuper hujus immeationis perspicuum est virtus Christi therapeutica vel sanandi, quæ in & per ipsius corpus ita potenter effulsit, ut utriusq; naturæ immigrationem intimam luculenter indicârit. Virtus enim ex ipso prodiisse dicitur, *Marc. 5. vers. 20.* & *Luc. 6. vers. 9.* quam divinam fuisse negari nequit, quia solus Deus facit mirabilia, *Psal. 72. vers. 8.* & nihilominus illa per carnem Christi sese proferebat, dum ab ægris catervatim tangebatur. Ut igitur *ὑπεχωρήσεως* naturalis facultates animæ per corpus humanum sunt dispersæ: Sic quia Christi caro divinâ virtute plena fuit, sequitur, quòd *λόγῳ* in illam totus cum omni sua potentia immigrârit.

CIII.

In unius
ὑφιστα-
μῶν con-
stitutione
mutua.

III. In unius *ὑφισταμῶν* constitutione mutuâ. Non enim naturæ Christi tantùm præsentés sibi sunt invicem, neque solùm una immigravit in alteram; sed simul utraque concurrat ad unum *ὑφιστάμῳν* constituendum, quia caro in se *ἀνωπίστα* in unitatem *ὑποστάσεως* divinæ recipitur, quæ ipsa subsistentiæ unitas facit, ut duæ naturæ personaliter uniantur, & unum *σύνθετον ὑφιστάμῳν* constituent. Hinc nonnulli communicationem *ὑποστάσεως* ad ipsum formale unionis referunt, quia hanc vix intelligimus, nisi perpetuam unius subsistentiæ communionem unâ consideremus. Interim tamen unionis forma primò consistit in illo naturarum concursu ad unum *ὑφιστάμῳν* constituendum, & per communicationem subsistentiæ, factam humanæ carni, veluti per immediatum consequens rectè declaratur. Atque hoc est, quod in articulo *Visitationis Saxonice. 2.* dicitur: *Duæ naturæ personaliter ita sunt unitæ, ut unus tantùm sit Christus, & una tantùm persona.* Ut enim ante Incarnationem *λόγῳ* simplex erat persona, subsistens in una tantùm natura: Ita nunc post Incarnationem factus est Christus & persona composita, duabus constans naturis, quæ

unde persona non duplicatur, sed qui est Deus, idem est homo;
& qui est homo, idem est Deus, unus Christus & unus Domi-
nus.

Notandum verò hîc est colophonis loco, quòd, quum Christi personam vocamus *compositam*, non intelligamus compositionem physicam, quâ emergit totum quid ex conflatione multarum partium, sicut ex conjunctione animæ & corporis tertia quædam oritur natura, quæ homo dicitur. Nam Christi persona non est totum quid à naturis distinctum, sed nihil aliud, quàm naturæ personaliter unitæ, juxta illud *Damasceni*, lib. 2. cap. 7. *ὅτι ἐξ ἐτέρων ἐτερον, ἀλλ' ἐξ ἐτέρων αὐτὰ*, Non ex aliis aliud, sed ex aliis illa ipsa. Modus tamen loquendi sic obtinuit, ut Christi personam compositam, & naturas dicamus partes illius personæ, quæ omnia κατὰ ἀναλογίαν quandam, & lato sensu, sunt intelligenda. Persona enim nominatur *σύνθετος*, tantum quia duabus constat naturis; & hæ dicuntur partes, quoniam unum ὕφιστόμυρον constituunt. Compositio ergo hîc sumitur sub notione communissima, ad quam sufficit, si plura in uno ponantur. Hæc autem observatio utilis est ad diluendas Calvinianorum exceptiones, quando personæ, non naturis factam esse communicationem, & personæ datam esse omnem potestatem, clamitant. Nam quia persona non est quiddam tertium à naturis distinctum, ultrò sequitur, omne quod de persona dicitur, vel de utraque, vel de alterutra natura dici. Jam quum personæ in tempore data legatur omnis majestas & potestas, hîc non subsistendum, sed ulterius pergendum, an data sit personæ secundum utramque, an secundum alterutram naturam? Et quia secundum utramque dari non potuit, siquidem divinitas altissima exaltari nequit, secundum humanam naturam id omne datum esse, firmissimè concluditur.

CIV.

Atque ex hæctenus dictis facilimè jam colligi potest aliqua unionis personalis definitio, quæ breviter ista sit: Unio personalis est duarum naturarum, veræ humanitatis, in Mariæ ute-

*Ubi simul
additur,
quòd perso-
na Christi
composita
dicatur sen-
su latiore.*

*Tandemq;
brevis defi-*

n. unio- nis persona- lis assertur. rix utero formata, & veræ divinitatis λόγος arctissima, & cum intima *περιχωρήσει* ac unius *ὑποστάσεως* communione, conjuncta, sine omni tamen confusione ad unum *ὑφιστάμενον θεάνθρωπον* constituendum copulatio. Unde mox ratio reddi potest, ob quam *ένωσις personalis* appelletur, nim. non quia sit personarum, sed (1.) ob *terminum in quo*, quia duæ naturæ in una *ὑποστάσει* vel subsistentia, quâ participant, coalescunt. (2.) Ob *terminum ad quem*, quia illæ ipsæ ad unum *ὑφιστάμενον σύνθετον* concurrunt. (3.) Ob *modum singularem*, quia nec essentialiter, nec accidentaliter, sed modo planè peculiari uniuntur, ita nempe, ut ex iis una fiat persona, unus Christus, & Redemptor generis humani.

CV.

IV. Meditatio practica de Summo unionis personalis mysterio.

4. Meditatio practica, ubi agitur Tribus ea potissimum membris videtur includi posse, si nempe cogitemus (1.) *Causas*, Deum impellentes. (2.) *Usus* ad nos redundantes. (3.) *Officia*, pro beneficio tanto debita.

CVI.

I. De causis Deum impellentibus, ut cum humana natura uniretur. Quæ sunt Misericordie humane consideratio, I. De causis impellentibus. Harum tres præcipuè numerantur. Impulit enim Patrem ad mittendum Filium; impulit Filium ad assumendam carnem
 1. Misericordie humane consideratio. Nam homo per & post lapsum gratiâ destitutus, scientiâ & justitiâ orbatus, tenebris immerfus, malitiâ cinctus, mortalitate indutus, & æternæ damnationi obnoxius factus est. Videns hanc misericordiam Deus, misericordiâ tactus, de remedio tanti mali deliberavit, & nullum Incarnatione λόγος salutarius aut magis congruum esse censuit. Hinc dicitur *missus Filius, & sub lege factus, ut eos qui sub lege erant, redimeret*, Gal. 4. v. 4. Hinc ipse apud Esaiam clamat: *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuidisti mihi laborē in iniquitatibus tuis.* c. 43. v. 24. Unde porro colligimus, λόγον in carnem non fuisse venturum, si homo in concreta integritate perstitisset. *Si homo non perisset, filius hominis non venisset,*

venisset, ait August. Serm. 7. de verbis Apostoli. In eundem sensum Origenes scribit, hom. 24. in Num. Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat, Filium Dei agnum fieri; neq; opus fuerat, eum in carne positum iugulari, sed mansisset hoc, quod in principio erat, Deus, Verbum. Verum quoniam introit peccatum in hunc mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit; propitiatio autem non fit, nisi per hostiam; necessarium fuit, provideri hostiam pro peccato.

2. Inexhausta Dei dilectio. Nam Deus est ipsa charitas, 1. Joh. 4. v. 16. ideoq; exarserunt in eo viscera misericordiae erga lapsum genus humanum, Luc. 1. v. 78. ut mundo daret filium suum unigenitum, Joh. 3. v. 16. qui & ipse non recusavit homo fieri, & pro nobis mortem subire. Hæc est summa illa charitas, quam declaravit Christus patiendo pro impiis, Rom. 5. v. 8. Hæc est *χρηστότης* illa & *φιλανθρωπία*, quam Paulus celebrat, Tit. 3. v. 4. Magna misericordia facta est, quia verbum caro factum est, & habitavit in nobis, scribit Ambrosius, in *ψ*. 51. Non liberaretur humanum genus, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus, Nam & homo ille dicitur humanus, qui se exhibet hominem, & maximè, qui hospitio suscipit hominem. Si ergo humanus dicitur, qui in domo sua suscipit hominem, quàm humanus est, qui in seipso suscepit hominem? scribit August. serm. 8. de verb. Apostoli. Quid misericordius intelligi valet, quàm quòd peccatori eternis tormentis deputato, & unde se redimeret non habenti, Deus Pater dicit: Accipe unigenitum meum, & da pro te: Ipse Filius, Tolle me, & redime te, ait Anselmus l. 2. Cur Deus homo, c. 20. In quo magis commendare poterat benignitatem suam, quàm suscipiendo carnem meam? Meam, inquam, non carnem Adami, non qualem ille habuit ante culpam, inquit Bernardus, serm. 1. de Epiph. Dom. Tantus Domine in me tuus amor fuit, ut non per Angelos, aut ullam aliam creaturam salutis meæ negotium obieris, verum ut primam fictionem, sic etiam instaurationem ipsemet efficiendam duxeris, Damasc. orat. 1. de Nativit.

Inexhausta
Dei dilectio.

3. Divinæ gloriæ manifestatio. Voluit enim Deus mundo patefacere suam majestatem, id quod per *λόγος ἐνοσίχωνος* factum commodissimè, siquidem ex opere illo eluxit Dei (1.) Bonitas & clementia, quòd creator creaturæ infirmitatem non despexit,

Et divine
gloriæ ma-
nifestatio.

O

spexit,

spexit, & propter hominem homo factus est, quo pacto omnibus
creaturis se quasi communicavit, annotante *Thomas*, opusc. 60. Ho-
mo enim 9. cum quavis creatura ex parte cōvenit, unde *parvus* qui-
dam *mundus* appellatur. Dum igitur λόγος humanam naturam
assumit, eo ipso parvum mundum, omnemq; creaturam sibi ali-
quo modo copulavit, Unde non ineptè ex Scholasticis quidam di-
xit: *Incarnatio est elevatio totius universi in divinam personam.* (2.) *Sapi-*
entia, quòd, quum nulla creatura hominem lapsū posset erigere,
ipse modum redemptionis invenit decentissimum, quo mors decer-
nitur Filio ex justitia; nobis salus ex misericordia. *Quid Sapiētius,*
ait *Thomas*, opusc. 60. *quàm quòd ad completionem totius universi fie-*
ret conjunctio primi & ultimi, hoc est, Verbi Dei, quod est omnium
principium, & humanæ naturæ, quæ in operibus sex dierum fuit
ultima creaturarum. (3.) *Justitia*. Deus iniquitatem non vult, *ψ.*
5. v. 5. Sed quia justus est, *Pf. 119. v. 137.* eam odit, punitq;. Quoniam
ergo legem Domini violaverat homo; hinc incurrit iram ejus &
satisfactionem urfit justitia. *Quum* autem hominum filii non pos-
sent, venit Dei filius, & nostri loco, tum agendo, tum patiendo sa-
tisfecit. Atq; sic Deus homine victo, non nisi per hominem victi-
ci voluit tyrannum; neq; vi eripuit hominem, sed pretium pro captivo
exsolvit infinitum; sanguinem omni pretio superiorem, *Basiliius* in *Pf. 47.*
(4.) *Potentia*. Ut enim magnum fuit, ex nihilo facere hominem;
sic longè majus est opus, Deum ipsum fieri hominem, & reparare
genus humanum! *Maximæ potentia demonstrationem habet, posse De-*
um in natura esse humana, scribit *Basiliius*, in *ψ 44.* *Thomas* opus. 60.
Magna potentia in conjunctione disparium elementorum; major in conjun-
ctione illorum ad spiritum creatum; maxima verò in conjunctione ad
spiritum increatum, id est, *Verbum*, ubi maxima est disparitas. Tan-
dem. (5.) *Veritas*, quia mortem interminaverat Deus, *Gen. 2. v. 17.*
& simul serpentis conculcatorem promiserat, *c. 3. v. 15.* Hunc ergo
misit, & mortem, quam subire nos debebamus, ipsi imposuit,
adeoq; se tum veracem in dictis, tum potentem in factis luculen-
ter declaravit. De ista divinorum idiomatum manifestatione
differuit olim *Gregorius Nyssenus*, orat. de Nativ. p. 75. *Considera*, in-
quit, *annon omnia concurrerint; Bonitas, Sapiētia, Justitia, Potentia?*
Quòd

Quòd bonus sit, hinc sciri potest, quòd desertorem dilexit; Quòd Sapiens sit, hinc liquet, quòd consilium, quo reditus in pristinum statum servitute oppressus conficeretur, excogitavit; Quòd justus sit, argumento est, quòd vim non fecit ei, qui nos in servitutem redegerat, sed seipsum dedit quasi pretium, quo redimeret captos ac detentos. Quòd potens sit, hinc patet, quòd non detentus est in inferno, neq; caro ejus vidit corruptionem. Eadem habet Damascenus, l. 3. c. 1. ita scribens: Per incarnationem monstratur bonitas, sapientia & justitia, & potentia seu virtus Dei. Bonitas, quoniam non despectit proprii plasmatum infirmitatem. Justitia, quoniam homine victo, non alio, quam per hominem fecit vinci tyrannum, neq; vi eripuit ex morte homines. Sapientia, quoniam invenit difficilissimi pretii decentissimam solutionem. Potentia, quoniam nihil est majus, quam Deum fieri hominem.

CVII.

2. De Usibus ex Unione duarum naturarum in Christo redundantibus.

2. De usibus ex unione personali

Tam magni sunt usus, ut vix mensurari; tam multi, ut vix numerari queant; Nos dicendi causâ distinguemus in universalem, communes & speciales.

redundantibus, Qui distinguuntur

Universalis usus est totius universi quædam quasi in persona λόγος evectio. Nam humana natura, quam assumptit, est & spiritualis, & corporea; est vitæ, sensus, & intellectus particeps, ideoq; illâ assumptâ, omnes creaturæ in illa & per illam quodammodo exaltatæ sunt. Hinc Damasc. orat. 1. de Nativ. Virginis. Creator naturam omnem interjectæ humanitatis beneficio in melius commutavit. Et in orat. de transfig. Benigna Patris voluntas in unigenito Filio rerum omnium connexionem effecit. Nam quum parvus mundus homo sit, ut qui essentia omnis, tum in aspectum cadentis, tum oculorum aciem fugientis, nodum ac vinculum in seipso ferat, atq; hoc & illud sit, revera benigna Dei voluntas hoc tulit, ut in unigenito filio, divinitatis & humanitatis, ac per eam conditarum rerum omnium connexio fieret, ut sit Deus omnia in omnibus.

In universalem,

Communiem usum dicimus eum, qui se ad omnes homines extendit, & plurima includit. Per λόγος enim incarnationem facta est

In Communes, Qui sunt

Humane
nature
exaltatio.

1. *Humane nature exaltatio.* Eandem enim carnis substantiam suscepit, quam nos gerimus, ideoq; nostram naturam à mortuis surrexisse, & ad dexteram Patris sedere rectè dicimus, innuente Apostolo, Eph. 2. v. 6. *Deus conresuscitavit, & consedere nos fecit in celestibus in Christo Jesu.* Hinc Tertull. l. de Carne Christi: *Securæ estote caro & sanguis: Jam enim regnum in Christo occupastis.* Augustinus 15. cap. Medit. *Humanam, non Angelicam suscipiens naturam, & eam solâ sanctæ resurrectionis & immortalitatis glorificans, vexit super omnes cælos, super omnes choros Angelorum, super Cherubin & Seraphin, collocans ad dexteram suam: Hanc laudant Angeli, adorant Dominatio- nes & omnes virtutes cælorum tremunt super se hominem Deum: hæc nempe mihi tota spes est, omnisq; fiducia. Est enim in ipso Jesu Christo Domino nostro, uniuscujusq; nostrum portio, caro & sanguis. Ubi E. portio mea regnat, ibi me regnare credo: ubi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me esse cognosco; ubi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio.* Chrysoft. ad Heb. 1. & in ser. de ascens. *Quæ natura est, cui Deus dixit, Esto meæ particeps sedis? Illa natura est, quæ audivit, Terra es, & in terram ibis.* Paulò post; *Natura fragilis, natura contempta, & omnibus monstrata deterior, omnia vincit, omnia superavit, & omnibus meruit excelsior reperiri, quæ verba citantur à Leone M. epist. 95. Theophylactus Eph. 1. *Universe Angelicæ potestati præsidet humana natura.* Lutherus in c. 28. Genes. *Utrumq; verum est, Summa divinitas est in infima creatura, serva facta omnium hominum, imò ipsi Diabolo subjecta; & contra: Infima creatura, humanitas vel homo, sedet ad dexteram Patris, summa facta, & subjicit sibi Angelos.**

Peccati
expiatio.

2. *Peccati expiatio.* Ideò enim Filius factus est Filius hominis, ut nostros languores ferret, nosq; livore ejus sanaremur Es. 53. v. 4. Hinc Deus donavit nobis omnia delicta, delens, quod adversus nos erat chirographum, Col. 2. v. 14. Refert Baronius Tom. I. Annal' p. 22. paulò ante adventum λόγος, Romæ exustas esse tabulas debitorum ærarii, quod signum fuit futuræ remissionis peccatorum.

Irati Patris
reconcilia-
tio.

3. *Irati Patris reconciliatio.* λόγος enim incarnatus unâ factus est Mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. Heb. 12. v. 24. no- ster

ster propitiator *Rom. 3. v. 25. 1. Job. 2. v. 2. c. 4. v. 10.* qui nos Patri reconciliavit per mortem suam, *Rom. 5. v. 10. 11. Col. 1. v. 20. 21.*

4. *A cunctis hostibus redemptio.* Nam in λόγῳ incarnato habemus redemptionem per sanguinem ejus *Eph. 1. v. 7. Col. 1. v. 4.* quia ipse nobis factus est redemptio, *1. Cor. 1. v. 30.* & dedit semet redemptionem pro omnibus, *1. Tim. 2. v. 6.* unde Jobus vocat eum Redemptorem vivum, *c. 19. v. 25.* qui nos à legis maledictione, à mortis terrore, à Diaboli tyrannide, ab inferni captivitate clementer & potenter liberavit.

5. *Amisforum bonorum restitutio.* Creatus erat homo ad Dei imaginem, *Gen. 1. v. 27.* sed quia deperdita est per lapsum, reparari debuit per Dei filium, qui homo factus, suâ obedientiâ meruit, ut in omnibus amissa imago restaurari possit, de qua reparatione loquitur Paulus *Eph. 4. v. 24. Col. 3. v. 10.* Nazianzenus, εἰς ἄλλα ἀποκαταστάσεων ἡμετέρας ἀναπλάσις, καὶ πρὸς τὸν πρῶτον ἀδάμ ἐπάνοδος.

6. *Æterna salutis acquisitio.* λόγῳ enim incarnatus non tantum restituit amissa; sed acquisivit etiam majora. In Adamo habuimus sapientiam & justitiam aliquam; sed in cœlo propter Christi meritum habebimus pleniorē. In Adamo fuimus immortales, sic tamen ut mori per peccatum potuerimus: In cœlo propter Christum sic erimus immortales, ut nec peccare, nec mori amplius possimus.

8. *Idolorum destructio.* Filio enim Dei veniente in carnem, obmutuerunt oracula, & cessere dæmones. Hinc *Cyrillus Hierosol. Catech. 12. Relinquentes homines Deum, fabricaverunt idola. Deo itaq; in humana figura falso adorato, Deus verè homo factus est ut solveretur falsum.* Historici fanè referunt, quòd oraculum Delphicum longè celeberrimum, tum temporis obmutuerit. Quum enim Augustus Cæsar sacrificasset Hecatomben, i. e., sacrificium centum victimarum ejusdem generis, hoc responsum tulit:

*Me puer Hebraeus Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemq; redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.*

O 3.

Augu-

Augustus igitur Romam reversus aram in Capitolio erexit, hae inscriptione: *Ara primogeniti Dei*. Nicephorus, l. i. c. 17. *Suidas*, in Augusto.

Evangelii
annuncia-
tio,

Variorum
donorum
elargitio.

8. *Evangelii annunciatio & disseminatio*. Magnum fuit λόγος incarnati beneficium, quod lege abrogatâ Evangelium libertatis prædicatum, & per paucos, nudos, pauperes, varieque vexatos Christi ministros non uni populo, ut olim, sed universæ hominum multitudini, sine discrimine sexus, status, nationis, annunciatum est, id quod commendat Paulus *Col. 1. v. 23. 1. Tim. 3. v. 16.*

9. *Variorum donorum elargitio, & virtutum abundantia*. Nam per filii Dei incarnationem intellectus noster pleniori mysteriorum notitiâ; cor nostrum liberiori Spiritu repletum est, ut magis spontaneè, quàm coactè, quia sub pædagogo non sumus amplius, *Gal. 4. v. 5.* serviamus Domino cunctis diebus vitæ nostræ, *Luc. 1. v. 74. 75.* Celebris est in omnibus historiis primorum Christianorum fortissima fides, ferventissima charitas, immobilis constantia & patientia, quâ acerbissimos cruciatus, & varia mortis genera devicerunt, ut rectè canat Prudentius:

*Tormenta, carcer, ungula,
Stridensq; flammis lamina,
Atque ipsa pœnarum ultima
Mors, Christianis ludus est.*

Hæc autem omnia sunt beneficia incarnati λόγος, quippe qui non vacuus, sed largâ manu advenit, & dotes gratiarum innumeras in humanum genus abundanter profudit.

Et in spe-
ciales, qui
solus creden-
tibus conve-
niunt.

Specialis usus concernit fideles solos, qui per fidem communia ista beneficia sibi applicant, & applicando *justificantur, sanctificantur, glorificantur*. Hæc sunt tria illa specialia charismata, quæ per & propter λόγος incarnationem solis credentibus contingunt, & ad quæ alia omnia referri facile possunt, nim. (1.) *Justificatio*, quâ remittuntur peccata, & adoptamur in filios Dei. (2.) *Sanctificatio*, quâ renovamur de die in diem, quâ perficitur opus bonum, quod in nobis coeptum, & contra carnis, mundi, Satanæque impetus munimur. (3.) *Glorificatio*, quâ anima quietè soluta in cœ-
lum

lum assumitur, & corpus olim gloriosè resuscitabitur, totusque homo aeternæ beatitudinis particeps reddetur.

CVIII.

III. De nostris officiis, pro beneficio tanto debitis.

Uno verbo ut dicamus omnia, *perpetuam* debemus *gratitudinem*. Æquum enim est, ut benedicat Deum, cui benefactum est à Deo. Et quò major est gratia, eò majores debemus gratias. Quod autem majus potest esse beneficium, descensu Filii Dei in mundum immundum, & assumptione carnis nostræ tam fragilis & contemptæ? Magnificemus ergo Dominum cum Maria, *Luc. 1. v. 46.* benedicamus illi cum Zacharia, *v. 68.* glorificemus cum cœlesti militia, *Luc. 2. v. 46.* Noah egrediens ex arca, aram laudis extruxit, & *συνήσια* obtulit ante omnia, *Genes. 8. v. 20.* Per *λόγον* incarnatum educti sumus ex arca inferni: Et non celebrabimus? Hanna, impetrato filio, Deum datorem prædicat, *1. Sam. 2. v. 1.* Nobis ipse Dei filius natus datusque est, & non grati erimus? Agamus autem gratias (1.) *Corde*, ut agnoscamus tanta munera, nec eorum obliviscamur unquam *Pf. 113. v. 1. seqq.* (2.) *Ore*, ut variis Psalmis hymnisque bonitatem Dei celebremus, juxta *Col. 3. v. 16.* & (3.) *Opere*, ut vitam nostram voluntati divinæ conformemus, quò Lux nostra luceat, & sic glorificetur Pater noster, qui in cœlis est, *Matth. 5. v. 16.* Requirit ille à nobis attentionem in audiendo, fidem in verbo, spem in promissis, charitatem in factis, obedientiam in præceptis, moderationem in secundis, & patientiam in adversis; quibus virtutibus si operam navemus diligentem, tum *λόγον* incarnatum rectè colemus & quotidie celebrabimus, quia *Non cessat laudare, qui non cessat bene agere*, dicente Hieronymo. Atque hæc sunt tria illa meditationis practicæ capita, quæ hymno suo tristropho innuisse videtur cœlestes nuncii, *Luc. 2. v. 14.* Dum enim *Deo in excelsis dant gloriam*, nos ad causas impellentes & modum manifestatæ gloriæ considerandum manuducunt: Dum *pacem in terris annunciant*, usus ad nos redundantes tacite

3. De nostris officiis pro tanto beneficio debitis.

infi-

insinuant; dum hominibus *eudonice*, quâ placeant Deo, precantur, ad officia pro tanto beneficio debita respiciunt. In his ergo meditationibus nos semper exerceamus; Ita quotidie cum exercitu cœlorum, exhilaratâ mente ac linguâ, cantare poterimus;

Gloria in Excelsis DEO, In terra pax & hominibus

bona voluntas,

A M E N.

FINIS.




officiis pro
tantis bonis
facere debet

05 A 959

ULB Halle

3

003 761 24X




1077

06.







Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

383
14

NUM
ATIS
RIUM
RNE MANI-
TO,
auspiciis
DE
ERO SS. TH. D.
Publico,
THEOLOGIA honoribus
doctoralibus,
endent.
ER VRATISLAVIENSIS,
ofessor Publicus, jam Ecclesie
ad D. Michaelem designatus
pector.,
NDREÆ HALLENSIS,
ecclesiastes, nunc designatus
dens Weidensis.
bris, horis ante- & pomeridianis,
Majori.
(*Decorative flourish*)
ERGÆ,
CHRISTIANI THAM,
ypogr.
DC. XXIV.

